maius proculdubio damnum facit. Eò quoq; spectat Niceni conuentus decretum, quo cautum est, ut episcopi quotannis prouinciales synodos bis celebrarēt, ad suos, quatenus opus esset, aliorumq; mores corrigendos.

Qui ex alienis & externis primi nostros Christianos insectati fuerint, & ibidē qui martyrij primùm palmam tulerint: atq; unde dictum, quidúe sit martyrium. Cap. VI.

PLato in sua republica ueritatem in primis cultam uoluit, quòd ea dijs & hominibus dux sit omniū bonorum, cuius qui felix futurus sit, statim ab initio participem esse decet. Veritatis docendæ causa Christus in mundum uenit, dicēs, Ego ad hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimoniū perhibeā ueritati. Omnis qui est ex ueritate, audit uocē meā. Conflauit sibi inuidiā ob hanc rem Seruator apud Iudæos, ita ut ab eis immerito suo sit neci deditus. Sic ueritas apud mortales ueritatis inimicos, sibi malo, ac suis cultoribus pariter bono non fuit: nam prima à Iudæis orta est, ut attestatur Eusebius, in Christianos persequutio. Quū enim Apostoli præceptoris uestigia sequuti, nuntiarēt uerbū ueritatis, & Petrus ante alios coargueret Iudæos iniquitatis, quòd Christū tradidissent morti, hortareturq; ad pœnitendū, eo furoris inuecti sunt, ut Stephanum diaconum occiderint. Is enim eo ferè biennio, quo passus fuerat Christus, cum ijs de re diuina in certamē descendit, qui uarijs nominibus dicti sunt, Alexandrini, Cyrenaici, Cilices, Asiani. Ibi quum plures & docti, ut ipsi uideri uolebant, uni nō resisterēt,

sisterēt,

sisterēt, sed cælesti sapiētia qua supernè erat instructus iuuenis, obruerentur, cum fremitu & indignatione circunstabāt Stephanū, uixq; manus præ nimia ira abstinebant. Interim uerò testatus ille se cælestē gloriā intueri, maius adhuc in se odiū concitauit: eam enim uocē ut impiam litigatores abhorrentes, facto in illum impetu, urbe eijciunt, eiectum lapidibus obruunt. Sic primus omnium Stephanus Christianæ religionis publicus assertor, mortem occubuit. Tum, sicut Lucas ait, erupit persequutio magna aduersus Christianos qui erant Ierosolymis, & omnes dispersi uel potius disseminati sunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apostolos, ut afflictionis occasio, quemadmodum diuus ait Hieron. fieret Euangelij seminariū, quando illi id passim prædicabāt. Quum uerò primùm Christianū nomē inter Gentes audiri cœpit, tum ut dijs inuisum infensius illis odio fuit, utpote quod iamiam præsagiebant reliquas esse religiones soluturū, quod impense auertere conati sunt semper uanorū deorū cultores: nam Athenienses Diagorā philosophum ex urbe sua pepulerūt, eo quòd, ut Cicero De natura deorum tradit, deos negasset, & omnem deorum opem, quò sic animos hominum à religionis cultu auocaret. Iidem Socratem damnarunt, quia nouā religionem introducere uisus est, qui per Aristophanē poëtam comicum in comœdia quam Nebulas inscripsit, falsò culpatus est, quòd fabulas coleret, & de Atheniensium religionibus detraheret, ac pubem seduceret. Item, ne plura cōmemorādo unius rei exempla, longius à proposito trahamur, Romani quū duas reperissent in agro Lu-



atri Francisco sacerdoti
concoditur

PHILOSOPHIAE TOTIVS HVMANAE IN TRES PARTES, RATIONALEM,

ſcilicet, Naturalem & Moralem, digeſtio: earundemq́ partium luculentiſſimà deſcriptio, libris tribus primariis conſummatam notitiam complectens.

*

Multò quàm antea caſtigatior, in lucem edita.

Hieronymo Vuildenbergio Aurimontano diſſertore.



LVGDVNI,
Apud Ioannem Frellonium.
1562.

AD OPTIMÆ INDOLIS

adolescentem D. Valterum Reid. abbatem à Kynlos designatum, Ioannis Ferrerij Ped. Octostichon

Non mea sunt, nostro sed pumice tersa decenter,
Quæ Sophiæ trado munera culta Deæ.
His etenim libris dignissima cuncta videbis,
Quæ tibi conueniant ingenióque tuo.
Hæc vbi cognoris, nullo sudore sequetur
Quod reliquum est: properes, dona beata feres.
Vnica nobilitas hæc est, sunt cætera fæce
De vulgi prorsus quæ placuere, Vale.

TIDEMANNI CVL-
menſis Epiſcopi, in totius Philo-ſophiæ humanæ libellos iudicium.

EGregie, doctiſsiméque vir, ac amice chariſsime, libellū quem ante pluſculos dies dono à te accepimus, fuit nobis multis nominibus gratus. Inter quæ non infimum hoc, quòd non ſine voluptate recordationem nobis refricuit eorum, in quibus olim pueri ſudauimus: videmúſque induſtriam hanc tuam, omnibus Ariſtotelicæ phi loſophiæ ſtudioſis, vtilem, atque authori honeſtamento non paruo, futuram eſſe: neque deerunt gratiæ, pro merito. Quod autem citius non reſpõdimus, effecit quod nobis prius lectione emetiendus erat liber, quàm iudicium noſtrum de illo proferremus. Valeat excellẽtia tua, nóſque diligat. Ex arce noſtra Lubomenſ. die xvij. Auguſti: Anno Domini X L V I. Vale.

REVERENDO IN CHRIsto Principi, & Domino, D. Tidemanno, Uuarmiensis Ecclesiæ Episcopo, Hieronymus Uuildenbergius Aurimontanus S. D.

CUm totius humanæ philosophiæ partes prima naturæ, rationis ac morum principia, quæ omnes arteis, quibus iuuentus erudienda venit, continent, summatim descripsissem, atque tribus libellis particularibus singillatim, seiunctímque exaratos (audax facinus) complexus essem, Præsul indulgentissime: cohortata est me colendissima Paternitas tua, cum adhuc Culmensis ecclesiæ episcopatum gessisses, quò eos libellos, in vnum librum comprehensos, sine tamen nuncupatorum patronorum iniuria & derogatione immutatis pristinis libellorum titulis, ahencis typographorum formulis conscribere iuberem. Quod & nunc, gratificaturus tuæ innocentissimæ Paternitati, denuò pro optatu tuo lubenter confeci: eósque Amplitudini tuæ, tanquam primario omnium istorum librorum patrono & authori nuncupatos, admittendos, suscipiendos, emandendósque speciatim committo, & offerendo consecro: quos vt ab vniuersis vitiligatorum meorum morsibus, tanquam tutor magnificentissimus grauissimúsq; Achilles, deffendas te etiam atque etiam rogo & oro. Vale,

VNIVERSAE PHILOSOPHIAE RATIONALIS IN DIALECTICAM ARISTOTELIS EPITOME, LIBRIS OCTO ABSOLVTA.

HIERONYMO VVILDENBERGIO AVRIMONTANO. DISSERTORE.

CATALOGVS LIBRORUM octo Dialectices.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PRINCIPI, ET

Domino, Domino Tidemanno, Culmensis Diœcesis Prussiæ Episcopo, eius nominis primo, Hieronymus Vuildenbergius Aurimontanus S. D.

*

QVemadmodum ſuperiori anno bonarum artium ſtudioſis prima naturalis philoſophiæ iecimus principia, Innocentiſsime Præſul: ita quoque nunc Dialecticæ initiatis, in Rationali philoſophia ſedulò præſtare curauimus. Primùm itaque diuini numinis opem gratiámque implorantes, ſine quibus nihil recte agitur in rebus mortalibus: ſubinde rem ipſam arduam difficilémque aggrediamur, neceſſum eſt: ſuper qua re multi puſillanimes ac meticuloſi lectores, non paucos à præclaris Dialecticæ ſtudiis remorati ſunt, eo quòd ipſi propter obſcuram & intricatam traditionem præceptionum, ſine vſu, ea ſtudia infeliciter attigerunt: aut quia perperam & frigidè ab imperitis literatoribus ſunt eruditi: aut quia contemnere, vel negligere conati ſunt, nobile

bile omnium aliarum artium & totius philosophię instrumentum, eis planè incognitum, quo ſine reliquarum artiũ ſtudia caſſa ſunt, & vana. Ideo nos hanc præclaram philoſophiæ de ratione diſſerendi facultatem, ex Ariſtotele & aliis doctiſsimis philoſophis erutam, quàm breuiſsimè poterimus, perſpicuè tractabimus, quæ non tædium, ſed ſolatium, & animi voluptatem, pauca adhibita opera, legentibus præſtabit, cùm viderint ſęſe cum delectamento & iucunditate facilè & ſuccincta quadam oratione, dicere poſſe, quod multi antehac Herculeo labore vix conſecuti ſunt. Hanc itaque lucubratiunculã noſtram longa experientia, multáque difficultate à nobis partam, nemini rectius dedicare debui, quàm tibi vni, Præſuli clementiſsimo, multis nominibus venerando: qui non minus in vniuerſa Pruſsia eruditiſsimum, quàm prudentiſsimum Eccleſiæ paſtorẽ agis, & patronum, maxima pietate, religione, ſummáque rerum experientia præditum, qui literarum ſtudia amat, doctos colit, & (vt par eſt) obſeruat, atque veneratur: quo vno pro vſu Reipublicæ literariæ, in reſtituendis ſcholis, apud noſtrates anteriorem habemus neminem. Admit-

tat itaque indulgentiſsima Celſitudo tua, munuſculum hoc noſtrum chartaceum, in vſum & gratiam iuuentutis Culmenſis Gymnaſij ſuſceptum ac conditum, quò egregio nomine tuo eat in publicum, vt accepto iuuentus ex eo ſui ſtudij incremento, perpetuam gratiam ſit Amplitudini tuæ habitura: in quorum laude & veneranda memoria, apud futuram poſteritatem, præclarum nomen tuũ viuet annis ſempiternis. Vale Pontifex optime, in longa ſecula felix: & me Reuerendæ Paternitati tuæ vnicè commendatum habe.

QVID PHILOSOPHIA *Rationalis, & quæ eius partes.*

PHilosophia Rationalis est scientia, ratione humana inuenta: qua ita eandem moderatur: ac regit, ne in principijs aliarum quarumcunque artium errare contingat. Ipsa enim docet modum, quomodo ex principijs conclusiones inferuntur: & quomodo contra negantes principia Dialecticus poßit disputare, definire & diuidere, Cuius Philosophiæ pars præcipua, Dialectica nominatur: quam diligentem de omni themate rationem definiuit Cicero. quæ satis est iuuẽtuti, si cognitis partibus, & definire, & diuidere, & colligere sciat, colligendique facultatem triplici diuersitate tractare. Nam uel ueris, uel necessarijs, uel tantum probabilibus, aut apertißimè falsis, omnis disputatio decurrit. quæ libris octo, & quidem breuiusculis hîc contenta est: quod Catologo præmisso cernere licet.

Sunt autem totius philosophiæ rationalis partes tres: scilicet Grammatica, quæ à literis nomen habet. est enim certa loquendi & scribendi ratio, qua pueri in primis erudiendi ueniunt, eo quòd fundamenta iaciat reliquis artibus omnibus, quam alijs absoluimus libellis: Dialectica que res nudas & intricatas proponit, quam hîc docemus: Rhetorica, quæ omnibus scientijs addit ornatum, hæc pueris nequaquam negligenda est, habitis his principijs: quam partem, si nobis Deus uitam suppeditabit, non negligemus.

IN OCTO DIALECTICAE *traditionis libros præfatiuncula.*

DE Dialectica, quæ est de quolibet themate diligens disserendi ratio, ut diximus locuturi: primùm eius definition

nitionem, quid ſit Dialectica, & unde dicatur: quomodo docemus, & quibus comparatur ſcientia: quomodo definimus, diuidimus, & argumentamur: quod ſit Dialecticæ officium proprium: quot argumentationis partes, quot ſint prima quæſtionum genera, & quomodo tractentur: quomodo diuidatur Dialectica: quis ſit Dialecticæ finis, & materia, ſiue ſubiectum: quò pacto differat Dialectica à Rhetorica: quare quoque difficile exiſtimetur Dialecticæ ſtudium: demum quid in ſingulis totius dialecticæ libris tractetur, dicturi ſumus. A quibus omnibus ut me paucis abſoluam, adijciam hanc ſubſequentem enarratiunculam, hoc modo.

PRAEFATIONIS BREVIS *Enarratiuncula.*

Quid eſt Dialectica, & unde dicitur.

Dialectica eſt ars ac uia, rectè & ordine docendi, quæ certam argumentandi rationem tradit. Omnis autem docendi uia ac ratio, conſiſtit in definiendo, diuidendo, & argumentando.

Et dicitur Dialectica, à græca dictione διαλέγομαι, quod eſt differere, hoc eſt, ordine & diſtinctè de aliqua re dicere. Significat enim colloqui & conferre cum aliquo, aliqua de re: ut ſit Dialectica, diligens differendi ſcientia, id eſt diſtinctè explicandi. ſiue ſcientia, quæ reſpondeat appoſitè ea de re, de qua queritur. Eſt itaque Dialectica, ars, quæ de quaque re propoſita probabiliter & in utranque partem differit. & hæc eſt propriè uis eius. Nam hac, noſtra probamus, & quæ contraria ſunt, refellimus: id enim uerè eſt argumentari.

Quom

Quomodo docemus, & quibus rebus acquiritur scientia?

Docemus itaque definiendo, diuidendo, & argumentando, ut iam diximus. Nam omnis perspicua docendi uia, seu disserendi ratio, uel habetur per definitionem, aut diuisionem, uel per argumentationem. Hæc enim tria sola docet Dialectica. Ergo per solam Dialecticam habetur perspicua docendi scientia. Quare dicitur omnium scientiarum Methodus. Ad hæc enim dicta tria capita, ceu fontes, omnis de disserendi ratione præceptio referenda est.

Consequens est, Dialecticam definiendi, diuidendi, & argumentandi esse scientiam, sine qua philosophia non potest esse consummata.

Quomodo definimus, diuidimus & argumentamur?

Definimus, cùm aut nomen interpretamur, aut quid sit res exponimus.

Diuidimus, cum membra, aut partes, enumeramus.

Argumentamur, cùm aliam sententiam ex alia ratiocinamur.

Definitione itaque obscura enodantur, & patefiunt: ambigua, diuisione explicantur: dubia, argumentatione probantur, aut improbantur.

Quod est officium Dialecticæ, & quot eius partes?

Officium proprium Dialecticæ est, docere. Cuius species, siue partes sunt definire, diuidere, & argumentari. quarum duæ, definitio, & diuisio, simplicis thematis, hoc est quæstionis, instrumenta sunt: Argumentatio, compositæ, siue coniunctæ, quæ duabus partibus continetur.

Vna

Vna est, inueniendi argumenta, dicta Inuentiua quæ monstrat locos, à quibus sumuntur argumenta. Cuius tria sunt elementa, scilicet Prædicabilia, Prædicamenta, & ratio definiendi & diuidendi. Altera Iudicatiua, quæ iudicat de inuentis, & inuenta digerit in ordinem, de quibus libro quinto commentabimur.

Quot sunt prima quæstionum genera?

Vt ante dicta liquidius intelligas, scias duo esse prima quæstionum genera. Aliæ enim sunt quæstiones simplices, ut, cum quærimus, Quid sit uirtus? Quid pœnitentia? Aliæ sunt quæstiones coniunctæ, siue compositæ: ut cùm quærimus, an liceat Christiano bella gerere? Vtrum C. Cæsar iure sit interfectus?

Quomodo tractantur quæstiones simplices, & compositæ?

Simplices quæstiones tractantur per definitionem, & diuisionem, ut dictum est. Compositæ uerò, per argumentationem, uel per Enthymema, uel per Syllogismum, & exemplum.

Quomodo diuiditur Dialectica?

Vniuersa dialectica, authore Platone, diuiditur in definitiuam, diuisiuam, & Analyticen, id est resolutoriam: de quibus postea in suis locis dicturi sumus.

Alij diuidunt Dialecticam, in ueterem & nouam. Vetus est, quæ de partibus argumentationis, scilicet de terminis & propositionibus tractat. Noua est, quæ de tota argumentatione differit, nempe de syllogismo, & reliquis argumentationis speciebus.

Quis est Dialecticæ finis, & materia?

Totius dialecticæ finis & materia, quàm alij hypothesim, siue subiectum uocant, est argumentatio. Vnde facilè

coniectura assequi queas, quæ sit materia siue argumentum omnium librorum totius Dialecticæ: quoniam de argumentatione, siue partibus ipsius, tractant singuli. Ideò libri Prædicabilium, materia est, prædicabile: libri Prædicamentorum, prædicamentum: Enunciationum, enunciatio: & sic aliorum librorum materiam secum important reliqui Dialecticæ libri, de quibus paulò pòst fusius dicemus.

Quo pacto differt Dialectica à Rhetorica?

Nihil interest inter Dialecticam & Rhetoricam, quòd ad materiam attinet. Nam eandam materiã utraque ars complectitur, scilicet quæstiones omnium rerum, tanquam idem obiectum. Differunt autem in modo tractandi. nam Dialectica rem nudam, breuiter & simpliciter ostendit. Inquirit enim, quid propriè dici debeat de qualibet causa. Rhetorica autem, addit elocutionem.

Quæ videtur Dialecticæ difficultatis causa?

Quòd multis difficile uidetur Dialecticæ studium, causa est ignauia & inscitia docentium, eo quòd ignoranter tractant auditoribus Dialecticæ prima principia. Sunt enim complures uoces, siue nomina, quæ in Dialectica traditione, à prima significationis impositione multum distant, & secundarias significationes important: quas Dialecticorum uulgus primæ & secundæ intentionis nomina appellat: quarum ignarus, non parum hallucinari uidetur, & infeliciter docere iuuentutem. ut, Genus in prima eius significatione genealogiam significat, in secunda prædicabile: Species uerò, primò formam, secundò speciem sui generis. Sic quoque in Grammatica quædam orationis partes uariè significant. ut Nomen, quo aliquid nominatur, primùm significat: secundo, orationis partem, quæ genere & declinatione dignoscitur. Sic uerbum, primò oris, secundo orationis partem, quæ modis &

dis & temporibus inclinatur. Et multa his similia, ac longè maiora, quæ præceptis, sine idoneis exemplis, uix discuntur: in quibus instituendis, præceptor puerorum, dum per ætatem licet, non parum introspicere habet, ut probè doceantur pueri. Nam præceptorum ignorantia iuuentus facilè à literarum studijs auocatur, & propter obscuram traditionem artes aspernatur: fingítque ideò indoctum uulgus Dialecticam à Christiana professione esse alienam, quod percipiendæ ueritati præbeat impedimentum, ementiens, quia hæreticorum figmenta ope Dialectica dissoluuntur.

Quid in vniuersum in singulis totius Dialecticæ libris octo tractetur, Annotatiuncula.

Dialectica tractatio, Aristotele authore, recto ordine à simplicibus ad composita proficiscitur. Primùm quidem circa simplices uoces, & incomposita uocabula uersatur, quæ Dialecticæ considerationis pars, libris duobus absoluitur: quorum alter, scilicet primus, est de quinque uocibus, seu generibus uniuersalium, siue prædicabilium: alter uerò secundus, de decem Prædicamentis. quem quoque de definitione, seu artificio definiendi & diuidendi, subsequitur liber Tertius: in quo per definitiones essentiæ rerum, & per diuisiones partes & potentiæ earundem explicari docentur. Post quæ rursus ad simplicium contemplationem redeundum est. Proximum enim est, ut quæ prius separatim considerata sunt in completas enunciationes atque propositiones componantur, quibus uerum aut falsum pronunciatur: quæ liber Quartus, qui est de Enunciatione, interpretatione, seu propositione, enarrabit. Hunc sequitur de Syllogismo, quem simpliciter dictum uocant, & reliquis argumentationum speciebus, liber

quint

quintus. Tandem sexto libro, de Syllogismo demonstratiuo Analytico breuiter, utilitérque acturi sumus. Deinde necesse est, ut loca certa designentur, ex quibus argumentationum sumatur materia, & ad conclusionem quamlibet congrua adferantur argumenta: atque hæc septimus liber, cui de locis Dialecticis, siue de Syllogismo Dialectico, titulus designabit. Postremò aduersus Sophisticas captiones, liber octauus erit, de confutatione seu dilutione argumentorum apparentium, qui inscribitur de locis sophisticis, seu de syllogismo sophistico, in quo latens illorum falsitas, & apparentis causa deceptionis manifestabitur. Nunc itaque ad id, quod primum est propositum, id est de quinque Vniuersalium seu prædicabilium determinatione agendum, quæ sunt totius argumentationis elementa, à quibus tanquam à simplicißimis, principium faciendum est.

*

Finis præfationis. Sequitur liber Dialecticæ tractationis primus.

ELENCHVS, SIVE INDEX authorum, quorum Minerua vſi ſumus, in his Dialecticæ libris.

*

Plato. Ariſtoteles.
Boetius Seuerinus.
Georg. Valla.
Georg. Trapezuntius.
Gaſparus Rodolphi.
Porphyrius.
Rodolph. Agricola.
Fran. Titelmannus.
Ioannes Cæſarius.
Iodocus Vuillichius.

Hi omnes, & complures alij Neoterici, rem Dialecticam nauiter tractantes.

DE PRAEDICABILIBVS, ſeu quinque vocibus, ſiue vniuerſalibus, Dialecticæ tractationis Liber primus.

PRAEFATIO.

DE Prædicabilibus, ſiue quinque uocibus simplicibus, ſeu uniuerſalibus diſſerturi, primò quid ſit prædicabile, & unde dicatur, enarrabimus. Deinde, *quid ſit* Vniuocè, & Aequiuocè *prædicari.* Tandem, *quot prædicabilia numero ſint, & quis illorũ uſus.* Poſtremò, *quid ſit uniuerſale, & quo diſtet à prædicabili: & quid indiuiduum, hac ſerie.*

Quid

Quid sit Prædicabile, & vnde dicatur?

Prædicabile est uox, quæ de pluribus uniuocè prædicari potest. Et dicitur prædicabile, à prædicãdo: quia indicat, quæ uox de qua commodè dici poßit: ut genus de specie, species de suo indiuiduo. Exẽplum primi: ut homo est animal. Exemplum secundi: Petrus est homo. & sic de reliquis prædicabilibus.

Quid est vniuocè, & æquiuocè prædicari.

Vniuocè prædicari, est communi nomine, & eadem substantiæ ratione, dici de pluribus: ut homo, animal, atque bos. nam singula animalia nuncupantur.

Aequiuocè autem prædicari, est communi nomine tãtum, substantiæ ratione diuersa, dici de pluribus. ut, Canis in aquis. in terris, in cœlo, nomine quidem idem, re autem atque substantia diuersa sunt, quorum indistinctum nullum ponitur in prædicamento, neque in definitione, propter ambiguitatem.

Quot sunt prædicabilia, siue vniuersalia, & quis illorum vsus.

Quinque sunt Prædicabilia, seu uniuersalia: scilicet, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. quæ gradus uocum appellantur. Vsus autem Prædicabilium est, ut inquit Porphyrius Prædicabilium author, ea non solum ad prædicamentorum doctrinam intelligendam, uerùm ad alia quædam necessaria & utilia, nempe ad diuisionem, definitionem, & demonstrationem, quæ tria principalißima sunt, ad comparandas disciplinas, instrumenta, utpote cuius gratia hanc artem inuentam esse constat.

Quid est vniuersale, & quo distat à prædicabili?

Vniuersale idem est, quod Prædicabile, quod scilicet de

multis in uniuersum prædicatur. Sunt autẽ Vniuersalia, siue prædicabilia, termini communes, multas res generali & communi significatione designantes: ut, natura humana, quæ est in multis particularibus hominibus. Et ideo quidam fecerunt *differentiam inter* Vniuersale & Prædicabile, *dicentes,* Vniuersalia *definiri per, esse in: prædicabile uerò per, dici de.* Hoc *modo,*

Vniuersale *est, quod aptum natum est esse in multis:* Prædicabile *uerò, quod aptum natũ est dici de pluribus. Sed hæc differentia nihil facit.* Nam *si natura rei alicuius non esset in multis, non posset uerè prædicari de pluribus.*

Sunt enim uniuersalia, uerè conceptus communes, pluribus indiuiduis, ac sensibilibus, aut horum similibus, ab intellectu formati, & quasi depicti. quia sunt ideæ collectæ ab indiuiduis.

Quid est indiuiduum?

Est, quod de uno solo prædicatur. Et *dicitur prædicabile communiter sumptum, non propriè: quia prædicabile propriè solum dicitur de dictis quinque uocibus.* Quare *indiuiduum non est uniuersale, sed est fundamentum nominum communium.* Est *itaque* Indiuiduum, *nomen proprium indiuisibile, seu (ut uocant) singulare, quod uni rei conuenit: ut,* Ioannes, Scipio, Cato.

Interdum *describitur per pronomen demonstratiuum: ut, hic equus, hic bos, aut per alias circunstantias ex hypothesi: ut, ruffus, claudus, quidam ciuis* Lypsicus. Semper *enim cum una res singularis significatur, indiuiduũ intelligitur.* Sunt *igitur indiuidua, termini singulares, unam tantum rem singularem, aut particularem significantes.* His *itaque præfatis, ordinem quinque prædicabilium absoluamus necesse est, à genere, primo prædicabili, orsuri.*

DE GENERE.

Quid est genus?

Genus est, quod de pluribus differentibus specie, in eo quod quid est, uniuocè prædicatur. Est enim nomen commune, quod prædicatur de multis speciebus, in quid est. ut animal, prædicatur de homine, equo, asino: Virtus, de iustitia, tẽperantia: arbor, de quercu, pinu, populo: herba, de absinthio, ruta: lapis, de crystallo, corallo, &c. Nam cũ quæritur, Quid est homo? respondetur, animal. Cùm quæritur, quid sit smaragdus? responde, est lapis uel gemma.

Quotuplex est genus?

Duplex. Aliud enim est genus generalißimum, aliud subalternum appellatur. Generalißimum, siue supremũ est, quod cùm sit genus, non potest esse species. Vel, supra quod non est aliud uocabulum commune: quæ sunt decem genera rerum omnium, scilicet Categoriæ, hoc est, decem prædicamẽta, quæ sunt decem rerum principia, seu ordines.

Genus subalternum, siue intermedium est, quod cùm sit genus, potest & uicißim species esse. Huiusmodi sunt omnia, quæ inter specialißimas species, & generalißima genera, semper inueniuntur. Et ad superiora quidem relata, hoc est, respectu superioris, species sunt: inferioribus uerò accommodata, genera: ut, animal, animati quidem corporis, species: hominis uerò, aut bouis, genus. Species autem infima, & indiuiduis proxima, uocatur species specialißima, ut patebit.

DE SPECIE.

Quid est species?

Species est, quæ ponitur sub aßignato genere. Hæc speciei definitio, tam speciei specialißimæ, quàm speciei subalternæ, communis est.

Vel, species est, quæ de pluribus differentibus numero, in

eo quod quid eſt, uniuocè prædicatur:ut,homo, de Socrate, & Platone.Et hæc definitio tantum conuenit ſpecialiſsimæ. Eſt igitur ſpecies nomen commune, proximum indiuiduis, quod prædicatur per quid:ut,homo. Nam ſi quæris,quid eſt Plato?reſpondetur, homo. quid eſt Scipio?homo.hic homo, prædicatur de Platone,& Scipione.

Quid eſt prædicari in Quid?

Prædicari,phraſi Dialectica,eſt dici de aliquo, & tribui alicui,quod de eo dicatur.

Prædicari autem in quid,eſt illud quod reſpondetur,per quæſtionem factam per Quid,ut dictum eſt.

Quare dicitur ſpecies?

Quia à multis indiuiduis ſumit,ſeu abſtrahit animus imaginem quandam communem omnibus indiuiduis,quæ cernũtur. Ariſtoteles ſpeciem,Plato Ideam uocat, Cicero formam. Sicut enim animus habet imaginem cerui apud ſe in mente, unde cognoſcit ceruum,ubicunque uiderit. Et tantum ſunt ſpecierum tales imagines. Aliarum autem communium nominum,tales imagines concipi non poſſunt.

Quotuplex eſt ſpecies?

Ea eſt duplex. Nam aliam ſpecialiſsimam,aliam ſubalternam dicimus.

Subalterna eſt,quæ inter generaliſsimum genus, & ſpecialiſsimam ſpeciem poſita eſt. ſuperioris ſpecies, inferioris genus ſemper inuenitur:ut animal. Specialiſsima eſt,quæ cũ ſit ſpecies,non poteſt eſſe genus:ut homo,bos. Hæ ſpecialiſsimæ ſpecies,non in ſpecies amplius,ſed in indiuidua ſcinduntur:ut,Cicero,& Ariſtoteles.

Quid intereſt inter Speciem & Genus?

Hoc intereſt,quia ſpecies dicitur de multis tantum indiuiduis. Genus autem dicitur de multis ſpeciebus, & indiuiduis,

duis, cui tribuitur.

DE DIFFERENTIA.

Quid est differentia, & quotuplex?

Differentia est, qua res inter se differunt. Et est triplex: Communis, Propria, & Specifica, siue magnis propria.

Communis est, quæ separabilis est: ita dicimus album hominem à nigro differre.

Propria est, quæ cum inseparabis sit, inest tamen per accidens: ita coruus nigredine à cygno differt.

Specifica, siue magis propria, quæ hîc definitur, est, quæ de pluribus differentibus specie, uel numero, in eo quod est quale essentiale, uniuocè prædicatur. ut quærendo, quale quid est homo? aptè respondetur: Animal rationale, mortale. Ergo in quale quid prædicatur, per quod aptè respondetur ad quæsitiuum, quale quid. Vel est, qua abundat species à genere. Vel, quæ diuidit ea quæ sub eodem genere posita sunt, & quæ cum genere constituit certam speciem, & semper de specie prædicatur, qualis sit: ut, Rationale cum animali constituit speciem, nempe hominem. Est igitur differentia substantialis qualitas, qua species eiusdem generis, secundum genus inter sè discernuntur. Vt rationale, discernit hominem à boue & equo. Euangelium, per gratuitam promissionem discernitur à lege.

Ad quid conducunt differentiæ?

Ad definitionum assignationem, cum scilicet speciem à specie diuidimus. Nam differentia generalis non perficit definitionem: ut, homo est animal bipes, est definitio imperfecta, cùm sint & gallinæ bipedes. Ridicula igitur definitio est. Differentia uerò specialis absoluit & perficit definitionem: ut, homo est animal rationale.

DE PROPRIO.

Quot modis dicitur Proprium?

Quatuor. Primò, quod soli alicui accidit speciei, etsi non omni: ut, hominem esse medicum, geometram. Secundò, quod omni, sed non soli: ut, hominem bipedem esse, quando & auibus perinde accidit. Tertiò, quod soli quidem, & omni sed non semper: ut, hominem canescere in senectute. Quartò, quod omni, soli & semper, hoc est, naturalem propensionem ad opus significat: ut, risibilitas in homine, & homini posse loqui inest. Et ideo nomina & uerba in definitionibus posita, potentiam, non actum significant: quare proprium hoc quarto modo acceptum, inter quinque uniuersalia connumeratur.

Quomodo definitur proprium?

Proprium est, quod de pluribus differentibus numero uniuocè, in eo quod est quale accidentalè, sic prædicatur, ut uertere liceat: ut, Omnis homo est risibilis: &, quicquid risibile est, homo est. Vel est proprium officium, quod uni soli speciei, & omnibus indiuiduis conuenit: ut, disciplinæ susceptiuum, ridens, loquens, numerans, sunt propria hominis.

Quid interest inter proprium & accidens?

Si usum spectes, nihil differunt. Nam utraque proprias conditiones specierum explicant, quibus illæ inter se dissident. paucas enim habemus ueras differentias. Ideo multum utimur propriis officiis, differentiarum loco. Et Aristoteles quidem, differentiam non distinxit à proprio. Cæterùm differentia significat partem rei: ut, rationale significat mentem, quæ est pars hominis. Proprium uerò significat officium rei: ut, loquens, numerans.

DE ACCIDENTE.

Quid est accidens, & quotuplex est?

Accidens est, quod potest adesse, & abesse, prætér subiecti corruptionem. Vel, quod contingit inesse uel non inesse eidem: ut, albedo, nigredo, calor, frigus, in corpore: lætitia, tristitia, in animo. Hæc possunt adesse, uel abesse substantiis: sicut uidemus, aquam eandem manere in substantia, etiamsi aliàs calet, aliàs friget. Et est duplex accidēs. Aliud est separabile: ut, dormire, sedere. Aliud inseparabile: ut, calor in igne, gryphum & simum in naso, nigredo corui & Aethiopis: quæ etsi separatim non inueniuntur, tamen non inferunt coruo, aut Aethiopi, corruptionem. Quod accidens à iunioribus sic definiri solet: Accidens est, quod de pluribus prædicatur, in eo quod est quale accidentale, non conuertibiliter.

Quod etiam alij definiunt per abnegationem aliorum prædicabilium, dicentes: Accidens est, quod neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium, semper est autem in subiecto subsistens.

De usu prædicabilium, in initio huius libri satis dictum est, quorum conuenientiam & differentiam, definitiones & diuisiones sufficienter enarrant, si per quid, aut per quale, essentiale, & accidentale, mutuò prædicentur. Nunc autem ad secundum Dialecticæ librū, qui est de decem prædicamentis, quemadmodum instituimus, breuißimè transeamus operæprecium est.

Finit Liber Dialecticæ Primus.
Sequitur Secundus.

DE PRAEDICAMENTIS, SIVE DE DECEM

summis rerum, seu primis generibus, Dialecticæ tractationis

LIBER II.

PROOEMIVM.

ABsoluto libro Dialecticæ tractationis primo, in quo de naturis quinque Prædicabilium egimus: librum nunc secundum Prædicamentorum, qui est de decem primis uocibus, decem rerum prima principia significantibus, absoluamus necessum est. Primum itaque procemij loco, quid sit Prædicamentum, unde dicatur, quis eorum usus siue utilitas sit, dicamus, & quot numero sint omnia per quæstiones, quemadmodum in priori fecimus libro, peruestigaturi, à definitione prædicamenti auspicantes.

Quid est prædicamentum, tum unde dicatur?

Trapezuntij definitio

Prædicamentum est terminorum, qui secundum nullam complexionem dicuntur, natura rerum coordinatio: hoc est, series quædam terminorum incomplexorum, quatenus ex his natura (id est, ratione) rerum, alij alijs subijciuntur, alij de alijs prædicantur. Et ideo Prædicamentum est ordo generum & specierum, quæ ex illis nascuntur, sub uno genere generalißimo secundum ordinem dispositorum.

Dicuntur itaque prædicamenta, à prædicando, sicut prædicabilia, quòd ipsa de omnibus alijs generibus & speciebus, atque indiuiduis, singula de sibi subiectis, prædicantur.

Quis

Quis sit prædicamentorum usus.

Vsus prædicamentorum consistit potißimum in hoc, ut omniũ rerum in natura ordo cognosci queat, ne substãtias, aut internas rerum naturas, confundamus cum accidẽtibus, quod in fine libri huius fusius dicemus. Sunt enim classes, seu ordines, quibus discrimina rerum naturæ distinguamus.

Quot sunt prædicamenta?

Decem: Substãtia, Quãtitas, Qualitas, Ad aliquid, Actio, Paßio, Situs, Vbi, Quando, Habitus. Quæ non distinguuntur re, sed ratione tantum, in substantiam, & accidentia. Substantiæ unum est prædicamentum. reliqua sunt accidentium, de quibus dici solet.

Summus Aristoteles trutinando cacumina rerum,
In duo diuisit, quicquid in orbe fuit:
scilicet, in substantiam & accidens.

De Diuisione libri Prædicamentorum, Annotatio.

Recentiores quidam nostri dissecãt hunc Aristotelis prædicamentorum librum, in Antepredicamenta, quæ præcedũt librum prædicamentorum: & Postprædicamenta, quæ subsequentur: uocabulis quidem affectatis, & nouis, non tamen improprijs, quæ nos his paucis enarratis, breuitatis gratia, missum facimus, ne cum hic omnia tractare uideremur, iuuentuti ansam legendi reliquos in Dialectica probè scribentium libros è manibus eripere argueremur, quos maximè legendos esse censeo, Omnia enim hic & ab alijs omissa, quæ uel ad Antepredicamenta, uel postprædicamenta attinent, apud Ioãnnem Cæsarium studiosè abundèque enarrata comperies, iucundißimè lector. Ioãnnes Cæsarius.

De Antepradicamentorum commentationibus, Purgatio.

Antepræducamēta sunt, quædam definitiones, scilicet Vniuocorum, & Aequiuocorum, & Denominatorum. Duæ diuisiones, & duæ regulæ, non tam utiles Dialecticæ initiatis, quàm difficiles, ad notitiam prædicamentorum utcunque seruientes : quas hîc breuitatis gratia omisimus, & ad Aristotelis Antepraedicamenta remittimus lectorem. atque nos hac unica diuisione non incommoda, ab antepraedicamentorum commentationibus iurè absoluemus, quæ talis est. Eorum quæ dicuntur, quædam dici de alijs possunt uti de subiecto : quædam non possunt. Item, eorum quæ sunt, alia in subiecto sunt, alia non. In subiecto dicitur esse, quicquid cum in alio sit, sine eo esse non poßit, & tamen non est pars eius. ut, albedo in corpore. Quare quod in alio non est, substantia est: quod autem in alio est, accidens dicitur. Quæ uerò de alijs, ut de subiecto dicuntur, uniuersalia sunt. Quæ dici de alijs non possunt singularia sunt. Est ergo, dici de subiecto, de inferiori prædicari: & esse in subiecto, est, esse in aliquo, sicut accidens est in suo subiecto.

De veris Prædicamentis.

Prædicamenta uera, non re, sed solum ratione distant, & diuiduntur: quoniam unum est tantum prædicamentum substantiæ amplißimum, ad quod omnia tanquam ad fundamentum referuntur, unde totus ille rerum propè infinitarum ordo nomen habet.

Alia prædicamenta nouem accidentia sunt. Super omnia autem prædicamenta, quæ sunt summa rerum genera communißima, quædam sunt uocabula, quæ transcendentia uocantur: & sunt sex numero, scilicet, Ens, res, unum, uerum, bonum, aliquid : quæ de omnibus dici possunt, sed id quidem æquiuocé.

De sub

De substantia primo prædicamento.

Prædicamentum substātiæ, est ordo uocum cognatarum, significantium res per se existentes.

Quid est substantia, & vnde dicitur?

Substantia est, quæ per se subsistit, alio neutiquam indigens, ut sit: ut, homo. Substantia dicta, quòd alijs omnibus, hoc est accidentibus, substet, & non mutetur: accidentia autem mutantur.

Quomodo diuiditur substantia?

Hæc ipsa ab Aristotele in primam diuiditur, & secundam. Et primam quidem eam esse dicit, quæ propriè & principaliter & maximè substare dicitur, & quæ neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est, ut quidam homo, ut Socrates, ut Plato, & si quid huiusmodi est, nēpe singulare, & indiuiduū. Secundam uerò substantiam, id est, secundæ substantiæ nomine, appellat species ipsas, in quibus, quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt, & harum specierum genera: ut homo, ut animal. quod in ipsa serie prædicamenti apertius comprehenditur, congerendo in hunc ordinem.

Sequitur series prædicamenti Substantiæ.

SVBSTANTIA.

Generalißimum genus.

Differentiæ.	Differentiæ.
Corporea.	*Incorporea.*
Omne corpus habens.	Corpus non habens: ut spiritus, Deus, Angelus, anima.
	Corpus.
Compositum.	*Simplex.*
Omne ex elemen-	Incompositum, ut orbes

tis

tis conflatum.	cœlestes, & elementa.

Corpus compositum, siue mixtum.

Animatum.	Inanimatum.
Omne habens animam.	Anima expers: ut mixta, metalla, meteora, gemma.

Corpus animatum.

Sentiens.	Sensus expers.
Vt, omne animal.	Omne uegetabile: ut arbor, herba, & frutex.

Animal.

Rationale.	Irrationale.
Homo solus.	Brutum, uolatile, aquatile & terrestre.

Homo.

Species specialißima: cuius indiuidua sunt, Cicero, Plato, reliqui homines quoque innumeri.

De proprietatibus substantiæ.

Habent autem prædicamenta proprietates quasdam, quas narrabimus utiliores, ad notitiam prædicamentorum magis scitu necessarias.

Substantia itaque non suscipit magis & minus: hoc est, una substantia non est magis substantia, quàm altera, quoad esse substantiæ: potest tamen una altera maior esse: Nulla enim hoc ipsum quod est, magis uel minus dicitur. Nec quicquam ei contrarium ratione substantiæ: Licet ratione qualitatum cõtrarietur, cum una poßit esse calida, altera frigida. Præterea hæc ita substantiæ propria sunt, ut ei cum quibusdam alijs communia sint. Illud tamen maximè proprium substantiæ, cum una & eadem numero sit, ut contraria uicißim suscipiat: ut, homo nunc albus, deinde niger.

DE

DE QVANTITATE, SEcundo prædicamento.

Quid est quantitas, & quotuplex?

Quantitas est, secundum quam in partes quidpiam diuiditur: uel, cui contingit posse diuidi. Est enim magnitudo rei, uel numeri, quibus res magnæ, æquales, uel inæquales dissecantur. Et est accidens, quo substantiæ immediatè uestiūtur, sine quo accidentia non possunt substantiæ inexistere.

Est autem duplex quantitas: Continua, & Discreta. Continua est, magnitudo, cuius partes ad eundem terminum communem copulantur: uel est magnitudo corporum, quæ longitudine, latitudine, & profunditate mensurantur. Cuius species sunt tres: Linea, superficies, & corpus. quæ sic describuntur. Linea est longitudo, sine latitudine & profunditate. Superficies est longitudo & latitudo, sine profunditate, id est, densitate. Corpus autem est longitudo, cum latitudine & profunditate. Et sic corpus intelligi oportet, non substantiam: hoc est, materiam, sed ipsam magnitudinem, cogitatione distinctam à materia, hoc est, subiecto. Vulgo uocant corpus Mathematicum. Mathematicus enim considerat quantitates, sine materia.

Quantitas discreta est, cuius partes ad nullum terminum communem copulantur: id est, non cohærent, sed à se inuicem sunt seiunctæ. Cuius species sunt, Numerus & oratio. Numerus est multitudo collecta ex unitatibus. Vnitas uerò est principium numeri. Oratio hic non sententiam significat, sed sonum, seu pronunciationis seriem, quæ non est continua, sed habet diuersas mensuras temporum. Nam aliæ syllabæ longæ sunt, aliæ breues: & quia oratio ex longis & breuibus, quasi coaceruatur, ideo collocauerunt eam in hoc ordine.

Propri

Proprietates quantitatis.

Quantitati similiter, ut substantiæ, nihil est contrarium. Sed illud maximè proprium eius, secundum eam æquale, uel inæquale dici.

Ad quid conducit?

Prædicamentum Quantitatis conducit ad uarias uariarum rerum definitiones. Hinc mensurarum numerorum, geographiæ, topographiæ, cosmographiæ, instrumentorum quibus Astronomi utuntur, rerum Arithmeticarum, scansiones pedis poetici, definitiones sumuntur.

DE QVALITATE, TERtio prædicamento.

Quid est qualitas, & quot eius species?

Qualitas est, secundum quam quales esse dicimur: ut secundum albedinem, albi: & secundum nigredinem, nigri: à iustitia iusti, à prudentia prudentes. Vel est ordo uocum, significans formas, per quas substantiæ agunt, aut efficiunt aliquid. Cuius quatuor sunt species: habitus, & dispositio: Naturalis potentia & impotentia: Paßio, & paßibilis qualitas: Forma, & circa hoc aliquid constans figura: quæ sic describuntur.

Habitus est qualitas corporis, uel animi, usu & assuefactione comparata: qua certius & facilius agimus. Corporis, ut ars scribendi, pingendi, pugnandi. Animi, ut ars canendi, numerandi, uersificandi: crebra excercitatione cõfirmata, difficulter mobilis à subiecto, in quo est. ut, scientiæ & uirtutes.

Dispositio, siue affectio, est qualitas facile mobilis à subiecto, in quo est. Est enim habitus inchoatus, & imperfectus, & quædam acceßio ad habitum, ut puer habens principia Grammatices, & non confirmatam notitiam consecutus, dicitur

citur habere dispositionem. Habitus igitur à dispositione distat, quòd permanentior quidem habitus sit, & diuturnior: dispositio uerò faciliter mobilis, & citò mutabilis. Et habitus quidem sunt, ut scientiæ & uirtutes: Dispositiones uerò, ut calor, frigus.

Potentia naturalis est, innata naturæ propensio ad aliquid agendum. ut in homine uis discendarum literarum, in equo propensio ad celeritatem, in auibus uis uolandi. Impotentia naturalis est, cum talis natura est denegata: ut, in asino est impotentia discendarum literarum, in homine est impotentia ad uolandum.

Paßibilis qualitas, est qualitas permanens, quæ sensui paßionem aliquam infert, & sensum mouet. ut in melle dulcedo gustum mouet, & reliqua obiecta sensuum, sensus: quia sunt qualitates, quæ sensu percipiuntur.

Paßio, est qualitas transiens, faciléque mutabilis, sensui paßionem inferens: ut, rubor in facie ex uerecundia, pallor ex metu. Et dicitur latinè affectus, seu affectio, uulgò paßio. Est enim subita mutatio in animo, aut corpore. Sunt autem animi affectus, Gaudium, Tristitia, Spes, Metus, & quæ ex his oriũtur: ut, Amor, Odium, Ira, &c.

Figura, est continui terminis proueniens qualitas: uel, ipsa collocatio partium: ut in triangulo, & similibus figuræ speciebus.

Forma uerò est, ex numero, uel numerati proportione prouenienes qualitas: scilicet continua partium compositio, quæ artificio constant in structuris, quorum unumquodque duplici qualitate afficitur, scilicet figura & forma.

De proprietatibus Qualitatis.

Inest itaque qualitati cõtrarietas: ut, iustitia iniustitiæ contraria est, & albedo nigredini. Verũ nõ in omnibus ita habet. nanque

nanque rubori & palori, cæteriſque eiuſmodi medijs coloribus, nihil eſt cõtrarium. Magis etiã atque minus ſuſcipit qualitas, ſed non omnis. nec enim circulus, aut triangulus, alius alio magis eſt id quod eſt, licet alius alio maior ſit. Quare id maximè proprium eſt qualitatis, ut ſecundum eam ſimile, aut diſsimile dicatur.

DE PRAEDICAMENTO AD *aliquid, ſiue de Relatiuis.*

Quid ſit ad aliquid.

Ad aliquid dicuntur, quæcunq; hoc ipſum quod ſunt, aliorũ eſſe dicũtur: uel quomodolibet aliter ad aliud, hoc eſt, ordo unius ad alterũ. Nam ad aliquid dicuntur quæcunq; ad aliud referũtur in genitiuo caſu, uel alio quouis modo: ut, dominus, ſerui dominus: ſeruus, domini ſeruus: uicinus, uicini uicinus: amicus, amici amicus, &c. Sunt enim relatiua, rerum comparationes, quæ res in prædicamentis ſuperioribus continentur. non ſignificant res exiſtentes, ſed collationem & reſpectum rerum inter ſe: ut, Pater non ſignificat hominem, ſiue ſubſtantiam, de prædicamento ſubſtantiæ, ſed reſpectu perſonæ quæ genuit, uel perſonam genitam. Hæc collatio rerum duarum, uocatur Relatio. Vocabula autem quæ ex relatione oriuntur, illa dicuntur Relatiua: ut, pater, filius. Et ideo in prædicamento Ad aliquid, duo ſunt ſpectanda, ſcilicet fundamentum, & terminus. Fundamentum eſt illud, à quo oritur relatio: Terminus, res, ad quam fit relatio, ut dictum eſt.

De proprietatibus ad aliquid.

Relatiua magis & minus ſuſcipiunt, non omnia, ſed quæ ſecundum qualitatem dicuntur, & quæ fortuna uel qualitate conſiſtunt. Item, Contraria nonnulla ſunt: ut uirtus uicio, di-

ſcipli

ſciplina ignoratiæ. Omnia uerò inter ſe conuerti, manifeſtum eſt. Pater enim, filij pater: & filius, patris filius. Sed oportet aptè alterum alteri reddere. nam ſi quis dicit, alam auis, quoniam alterum alteri non aptè reddit, non poterit conuertere. Non enim in eo quòd auis eſt, ſed in eo quòd alatũ eſt, ala eſt. Sunt itaque caſus diligenter ſeruandi: ut, doctrina docti: ſed doctus, doctrina doctus.

DE SEX POSTERIORIBVS PRAEDIcamentis, quæ ſunt, Actio, Paßio, Vbi, Quando, Situs, Habitus, breuis Annotatio.

Actio.

Actio eſt, ſecundum quam in id quod ſubijcitur, agere dicimur: ut ſecare, uerberare. Eſt enim applicatio agẽtis ad patientem ut, Calefactio ignis, eſt applicatio ignis ad aquã quæ calefit. Proprietas actionis eſt, quòd actio actioni nonnunquam contraria eſt: ut incendere, extinguere: quare magis & minus ſuſcipit. Sed illud, præcipuè actionis eſt, quòd in motu ſit. Omnis enim actio in motu eſt, & omnis motus in actione ſeruatur.

Paſſio.

Eſt illatio, effectúſque actionis: ut, ſecari, uerberari. Vel, eſt applicatio patientis ad agens, ſiue effectus actionis: ut, Calefactio aquæ, eſt applicatio ad ignem. Paßionum aliæ ſunt corporum, ut calefacere: aliæ animi, ut iraſci, expaueſcere. Huc pertinent omnia quæ ſignificant agere & pati. Nam paßio eſt correlatiuum ad actionem.

Vbi.

Eſt, quæ à loci circumſcriptione procedit, corporis locatio: ut, in agro, campo, domi, foro eſſe, in templo eſſe. Eſt enim nominum localium genus. Non eſt tamen idem locus, & ubi.

Nam locus est in eo quod capit: Vbi uerò, in eo quod circumscribitur.

Differentiæ loci sunt, superius inferius, dextrum sinistrũ, anticum posticum, siue antè & retró. Huic Categoriæ nihil est contrarium, quemadmodum nec loco. Et species eius, loci species sunt, non ut locantis, sed ut locati.

Quando.

Est, quæ relinquitur ex tempore, rerum affectio. Et est genus nominum temporalium, Heri, hodie, cras, & aduerbia temporis. Adolescentia, &c. Comprehendit enim tempus, & partes temporis.

Situs.

Est, quod positionem habet quoquo modo ad alterum: puta, ad partes corporis. uel sic se habentis ordinatio: ut, stare, sedere, recumbere, iacere. Situs, siue positio, non suscipit magis & minus, quamobrem nec contrarium. nec enim stare & sedere contraria sunt, ne uni plura contraria sint.

Habitus.

Est ratio uestiendi corpus: ut, armatum esse, tunicatum esse. Nam habitus est corporum, & eorum quæ corpus sunt, adiacentia. est ergo quiddam extrinsecus aduenient, neque innatum ei à quo habetur. Suscipit autem habitus magis & minus, quia etiam contrarium, non ut habitum, sed ut priuationem: ut, armatus inermis.

Quis est vsus Categoriarum?

Prædicamentorum notitia, quemadmodum prædicabilium, confert ad definitiones, ad diuisiones, & ad inuenienda argumenta, Monstrant enim genera, species, & differentias, atque rerum circunstantias. In definiendo enim ostendunt genus: ut, homo est animal. In diuisione suppeditant species: ut, animalium aliud homo, aliud brutum. In argumentatione do-

cent, quomodo sumantur probationes à genere & specie. Postrema præterea prædicamenta quatuor, continent circunstantias loci, temporis, gestus, & instrumentorum, ideò gignunt descriptionum amplificationes: ut, Clodius pugnam fecit ex loco superiori, & insidiis actis. Item, uesperi expeditus in equo, armatus, & stipatus seruis, barbaris, gladiatoribus. Ergo uerisimile est, eum habuisse consilium faciendæ cædis.

De Postprædicamentis Conclusio.

De postprædicamentis, quæ item non sunt nisi quarundam uocum ambiguarum interpretationes, ad notitiam uerorum prædicamentorum deseruientes, paucis agamus oportet. Quarum sunt quinque numero: nempe Oppositio, prius, simul, motus, & habere: quarum descriptiones apud Aristotelem in Postprædicamentis notificatæ sufficienter comperiuntur, quæ & apud Georgium Trapezuntium succinctè & utiliter traditæ sunt. Breuitati itaque incumbentes, eò remittimus uigilantem lectorem, ut nos commodius ad utiliora huius rei studia accingamus; quomodo scilicet definitiones & diuisiones rerum sint constituendæ, contexendæque.

Finit Liber Prædicamentorum. Sequitur de definitione & diuisione Dialecticæ traditionis Liber Tertius.

DE DEFINITIONE ET DIVISIONE, EArundémque ſtructura, Dialecticarum rationum

LIBER III.

PRAEFATIO.

QVando ſcientia non comparatur, niſi per definitionem, diuiſionem, & argumentationem: neceſſarium duxi, ut poſt notitiam ſimplicium thematum, ſeu uocum ſeiunctarum, nempe prædicabilium & prædicamentorum, ex quibus tanquam ex generibus & differentiis definitiones ſtruuntur: nunc quoque de definitione & diuiſione coniunctim diſſeramus. Hæ enim ex uocibus, ſeu thematibus incomplexis, ſiue ſimplicibus conflantur, ut eis appoſitè cognitis, ad reliquas argumentationum partes coniunctas accedamus: quæ ſunt propoſitiones, ex quibus argumentatio conſtat. Poſtremò de Syllogiſmis, in quibus totius Dialecticæ finis conſummatur, acturi. Primùm itaque, quid ſit definitio: deinde, quid diuiſio, & quæ earum partes, definiemus hoc modo.

Quid ſit definitio, & quotuplex?

Definitio eſt oratio, quæ dictionum ſignificata: aut rei naturam & proprietatem exponit. Et eſt duplex definitio, ſcilicet nominis, & rei. Definitio quid nominis, eſt qualiſcunq; uocabuli interpretatio: ut, Sacrilegium, ſacræ rei ablatio. Id genus definitiones imperfectiores ſunt: neque enim rerum naturam explicant, ſed tantùm originem uocum.

Definitio autem quid rei, ut inquit Ariſtoteles, eſt, quæ quid eſt eſſe ſignificat, hoc eſt, oratio explicans, quæ ſit rei

natura

natura,essentiáue. Et hæc sola plena & perfecta finitio, constat genere & differentia: ut homo est animal rationale, mortale. Hæc quoque differt à descriptione, quo opaca pictura à perfecta.

Quæ præcepta in definiendo seruanda sunt.

Primò, ut finitio non complectatur plura quàm finitum, & finitum nō plura quàm finitio: hoc est, definitio non abundet, neque deficiat. Secundò, ut definitio, quid sit res, hoc est, substantiam eius explicet. Tertiò, ut aperta sit, hoc est, non ambiguis nominibus, neque obscuris, aut ex longinquo trāslatis constet. Sequitur ex dictis, duo esse genera uitiosæ definitionis: ut si abundat, uel deficit. Exemplum primi. ut, Philosophia est scientia, de sermone, de natura rerum, de moribus, & de religione. Hæc definitio abundat. nam philosophia nihil certi docet de religione, est ergo uitiosa definitio. Exemplum secundi: Pœnitētia est dolor, de peccato commisso, Hæc deficit: quia altera pars, de fide scilicet, deest.

Quot sunt formæ definitionum rei?

Quatuor { Essentiales. / Causales. / Ex partibus. / Ex Accidentibus. }

Quoniam definitio est oratio, quæ exponit naturam, causas, partes, uel accidentia rei,

Prima forma definitionum est essentialis, quia constat genere & differentia: ut, homo est animal rationale. uel, est definitio sine accidentibus. Et cum ferè impoßibile sit constituere definitionem sine accidentibus, ideò paucißimas huius generis definitiones habemus: fortaßis, præter hominis definitionem, nullam, de qua tamen adhuc rixatur apud doctos.

Hic scire licet, quòd essentiæ uocabulo significatur natura per sese, Substantiæ autem uocabulo natura uestita accidentibus.

Secunda forma. Definitio causalis est, quæ constat ex causis. uel, quæ causam rei, de qua quæritur, reddit, cum scilicet ex causis definitum colligit. Hoc autem definiẽdi genus, quia multiplex est, altius repetamus. scire itaque oportet, Quid sit causa, Et quotuplex.

Causa igitur est, cuius gratia euenit aliquid. Et est quadruplex. Efficiens, Materia, Forma, Finis. Efficiẽs causa est, persona ipsa, seu res faciens: ut, Architectus est causa efficiens domus. Materia est, ex qua aliquid fit: ut, pannus est materia uestis, lana materia panni ligna & lapides materia domus. Forma est ipsa figura, effigies, seu qualitas, quam indicat materia: ut, figura illa quam habet uestis, est causa uestis, sine qua non diceretur uestis. Finis est usus rei, siue cuius gratia fit aliquid: ut, finis domus est habitatio, ut nos defendat ab imbribus, & caumatibus. Ad causam finalem refer finitiones, quæ ab effectis, item officiis petuntur. Effectus enim propriã cuiusque rei uim demonstrat: ut, Hæmatites lapis est, qui sanguinem sistit. Smaragdus, lapis est uiridis, impudicitiæ impatiens. Luna, sidus est, cuius ui fluunt ac refluunt maria.

Officia etiam magnam habent uim cum effectis: ut, Iustitia est uirtus, tribuens unicuique quod suum est: Fortitudo est uirtus, contemnens res humanas, & arduas gerens.

Tertia forma est definitio ex partibus, quæ ex rei partibus, seu enumeratione partium conflatur: ut, Philosophia est scientia de natura rerum, de sermone, & de moribus. Corpus animale est, quod constat ex capite, uentre & pedibus. Pœnitentia, est contritio, & fides. Grammatica, est ars rectè scribendi, interpretandi, pronunciandi, construendi: siue coniungen

iungendi uocabula.

Quarta forma est definitio ex accidentibus, ex genere & accidentibus collecta. Estque hæc definitio remota quædam rei per sua accidentia descriptio. Hæc prophetis sanctis, & poetis familiaris est. Sic Dauid psal. 1, ab accidentibus definit uirum beatum, inquiens: Beatus uir, qui non abiit in consiliis impiorum. Virg. Ecloga 1. definit uesperum ab accidentibus:

Maiorésque cadunt altis de montibus umbræ. Id est, uesperum est tempus, quo umbræ sunt longißimæ. Item, Thersites est homo gibbosus, acuminato capite, garrulitate scurrili.

De diuisione.

Expedita de definitionum ratione materia: nunc de Diuisione tractandum erit. Nam ita se habent, ut alter alterius egere uideatur.

Quid est Diuisio?

Diuisio est, rei per partes explicatio. Vel est, communioris in minus commune distributio: ut, cùm animal distribuitur in hominem, & bestiam. Nam ut natura rei definitione explicatur, ita officia eius per diuisionem. Hæc itaque se habent, ut alter alterius egere uideatur, Nec enim, nisi qui recta distributione usus est, definire se unquam intelliget: nec unquam rectè distribuere poteris, nisi quid sit quod distribuendum est, conscripseris.

Quot sunt formæ seu species Diuisionis?

Quatuor:
- Vocabuli, in sua significata.
- Generis, in species.
- Totius, in partes. seu membra.
- Subiecti, in Accidentia, siue Enumerationes.

Prima forma est, in qua uocabula multæ significationis, in sua significata diuidūtur: ut, Canis nunc est animal terrestre, nunc piscis, nunc astrum. Nepos, nunc consanguineum significat, nunc luxuriosum. Gallus, aliàs auem, aliàs gentem, aliàs eunuchum, uidelicet sacerdotem Cybeles. Sic fides, aliàs ciuiliter accipitur, pro constantia in dictis & factis: aliàs Theologicè accipitur, pro fiducia in promißionem de Christo.

Secunda forma est, Diuisio generis in species proximas: & hæc facilis est, cognitis quinq; uocibus, quid genus, quid species sit. ut, si animal genus, deducas in hominem, leonem, asinum, ut species: Arborem, in ulmum, pyrum, pomum: Elementum, in aerem, ignem, aquam, & terram. Et uocatur hæc diuisio apud Rhetores, Distributio.

Tertia forma est, cum totum in sua membra, seu partes diuiditur: & uocatur partitio. Sic corpus totum diuiditur in caput, thoracem, uentrem, pedes, manus, ut membra seu partes. Item totus homo, in corpus & animam: Euangelium, in prædicationem pœnitentiæ, & remißionis peccatorum: Peccatum in originale, & actuale: Lex, in diuinam, & humanam.

Quarta forma est, diuisio subiecti in accidentia: ut cum dico, Ciceronem, philosophum, oratorē, & astronomum fuisse. Item, bestiarum aliæ sunt feræ, aliæ cicures, id est, mansuetæ: hominum quidam literati, quidam uerò illiterati: Scholasticorum alij studiosi, alij nebulones. Hanc formā uocant Enumerationem, id est, cum subiecti accidentia enumerantur.

Annexum de Methodo.

Ex definitione & diuisione, formant nunc neoterici Dialectici suam docendi Methodum, quam aliàs Dialecticam uocant.

Et appellatur Methodus, quasi uia directè ducens ad metam, id est, notitiam perfectam. Est enim Methodus latinè uia compendiaria.

Quæ & quot sunt quæstiones Methodi in simplici themate?

Quinque:
- Quid res sit.
- Quæ causæ.
- Quæ partes.
- Quæ officia, seu effectus.
- Quæ contraria.

Per has quæstiones thema ducendum & examinandum est. Nam ita demum res perfectè cognoscitur, cum definitio, causa, partes, officia, & contraria eius inuestigata sunt.

EXEMPLVM METHODI de fide.

Quid est fides?

Fides est certa fiducia in promißiones de Christo, iustificans omnes coram Deo, qui eam certam & indubitatam habent.

Causæ.

Causæ fidei sunt, Spiritus sanctus, & uerbum. Nam fides Spiritus sancti donum est: hic uerò non donat fidem, nisi per ministerium uerbi. Ad Rom. 10. Fides ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei.

Partes.

Hæc fides, de qua hic loquimur, non finditur in partes. Est enim unus quidam motus animi, intuens in promißiones de Christo, & adsentiens illis.

Effectus, seu officia.

Iustificare credentes coram Deo, exemplo Abrahæ. Gen. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.

Reddere tranquillas conscientias: Ad Rom.5. *Iustificati igitur fide, pacem habemus.*

Contraria.

Contraria *fidei omnia esse possunt, quæ prædictis aduersantur: ut, adserere, fidem tantùm esse notitiam historiæ de* Christo: *adserere, uirtutem aut qualitatē in nobis, esse ipsam fidem.* Similia *exempla de iustificatione, de iustitia, & his similia colligere posset diligens lector ex* Erasmo Sarcerio.

Conclusio.

Hîc *labor maiori eget dissertatione, quàm hic paruus libellus præstare queat.* Quare *hic uigilantem lectorem ad classicos huius rei* Authores *remittimus.* Satis *enim est, hæc progymnasmata nouellos* Dialecticæ *tyrones, quasi prima huius rei principia degustasse: qua in re* Philippus Melanchthon *graphicè, breuiter, utiliterq; cōmentatus est, quemadmodū in uniuersis suæ* Dialecticæ *libris doctißimè disseruit.*

Sequitur liber Dialecticæ Quartus.

DE ENVNCIATIONE, INTERPRETATIONE,

ſeu propoſitione, Dialecticæ traditionis,

LIBER IIII.

EXACTIS *primis duobus ſimplicium uocum, ſeu thematum, Prædicabilium, & Prædicamentorum, libris, interiecto de Definitione & diuiſione libro tertio: nunc in hoc quarto de Enunciationum rationibus, quæ Syllogiſmorum (mox tractandorum) elementa ſunt, differendum uenit: quod quidem ſuccincta oratione præſtare curabimus breuiſsimè hoc pacto.*

Quid eſt Propoſitio, ſiue interpretatio?

Propoſitio eſt oratio perfecta, indicatiua, uerum aut falſum ſine ambiguitate ſignificans. Vel, eſt perfecta & certa ſententia, nomine & uerbo primario conſtans: ut, Deus ſeruat omnia, Omnis homo peccat. Neque tamen refert, ſiue propoſitio paucis uel multis uerbis conſtet: ut, Cæſar non eſt iure interfectus: Item, Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin.

Quot ſunt Propoſitionis partes?

Duæ: ſubiectum, & prædicatum. Subiectum eſt, de quo aliquid prædicatur. Prædicatum uerò, quod dicitur de ſubiecto. ut in prædicta oratione, Omnis homo peccat: homo, eſt ſubiectum: peccat, prædicatum. Eſt itaque ſubiectum, prior pars in conſtructione, nempe nomen, præcedens uerbũ: prædicatũ, quod tribuitur nomini. Et ideo dicũt logici, tres eſſe propoſitionis partes: Subiectũ eſſe priorem, prædicatũ poſteriorẽ: copulans

pulam esse uerbum substantiuum, quod coniungere uidetur subiectum & prædicatum: ut, Paries est albus. Porrò in uerbis naturaliter inest copula: ut, Cæsar uincit, id est, Cæsar est uictor.

Quot sunt propositiónum Diuisiones?

Diuisiones propositionum, penes quas cognoscuntur, sunt quinque.

Prima est substantiæ, in Categoricam, & Hypotheticam.

Secunda qualitatis, in affirmatiuam & negatiuam.

Tertia quantitatis, in Vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem.

Quarta est diuisio propositionis, in ueram & falsam.

Quinta, in necessariam & contingentem.

Ad interrogationes dictarum diuisionum, dabatur olim memorabile responsiuum non impertinens.

Quæ Ca. uel Hyp. qualis, Ne. uel Aff. V. quanta Par. In. Sin.

De substantia propositionis,
Diuisio prima.

Propositio prima diuisione diuiditur, in Cathegoricam & Hypotheticam.

Propositio Categorica, est una simplex indicatiua oratio, nomine & uerbo constãs: ut, Cæsar uicit Pompeium, Aeneas est pius, Clodius iure occisus est. item, Labor omnia uincit improbus. Et uocatur latinè prædicatoria, accusatoria, uel assertoria, authore Statio.

Hypothetica propositio, est oratio composita per coniunctionem, ex duabus categoricis: ut, si Cæsar bellum inferret Turcis, recuperaret Hungariam: Item, Si uis uitam ingredi, serua mandata. Latinè uocatur Suppositoria, siue subiũctiua,

uel

uel conditionalis: quia non purè, ſed conditionaliter enuntiat. Trapezuntius diuidit Enuntiationem, in ſimplicem & compoſitam, quod in idem redit.

De qualitate propoſitionis,
Secunda diuiſio.

Propoſitionum alia affirmatiua, alia negatiua.

Affirmatiua eſt, in qua prædicatum affirmatur de ſuo ſubiecto: ut, Cicero eſt orator, Virtus eſt finis hominis.

Negatiua eſt, cum prædicatum negatur de ſubiecto: ut, Cicero non eſt orator, Voluptas non eſt finis hominis. Quæſitiuum eſt Qualis: ut ſi quæratur, qualis eſt propoſitio? reſponderi debet, Affirmatiua, uel Negatiua, ut dictum eſt.

De quantitate, tertia Diuiſio.

Propoſitionum aliæ uniuerſales, in quibus ſubiecto præponitur ſignum uniuerſale: ut, Omnis, nullus, quilibet. ut, Omnis homo mendax, Nemo ſine uitio naſcitur: Quicquid non ex fide, peccatum eſt.

Particulares, quando ſubiecto præponitur ſignum particulare, nempe, quidam, aliquis, nonnulli, non nemo: ut, quidam pueri ſunt ſtudioſi, quidam affectus ſunt boni.

Indefinitæ, in quibus in uniuerſum de re aliqua dicitur, ſine appoſito ſigno, aut uniuerſali, aut particulari: ut, Homo currit, Virtus eſt ſummum bonum, Dilectio eſt uinculum perfectionis.

Singulares, in quibus ſubiectum eſt nomen proprium, ſiue indiuiduum: ut, Petrus ſcribit, Hic eſt filius meus dilectus.

Signa uniuerſalia ſunt, Omnis, nullus, nemo, cunctus, quiſque, qualisqualis, quantusquantus, quotquot. Signa particularia ſunt. Quidam, aliquis, quiſpiam, quiſquam, ullus.

De ue

De veritate aut falsitate propositionis, Diuisio quarta.

Propositio aut uera est, aut falsa. Vera est, quæ cum re consentit: ut, Ignis est calidus, Homo loquitur, Iustitia est uirtus. Falsa est, quæ cum re non consentit: ut, Piscis uolat, canis loquitur, iustitia est uitium.

De materia propositionum, Quinta Diuisio.

Triplex est materia propositionum. alia enim est necessaria, alia contingens, alia remota siue impoßibilis. hinc sumitur triplex discrimen propositionum: quarum alia est necessaria, in qua est definitio, aut pars definitionis, uel genus, uel differentia, uel proprium: ut, Homo est animal rationale, quod loqui potest: Equus hinnit: Fides iustificat. est enim hinnire proprium equi, & fidei proprium iustificare. Contingens propositio est, ubi accidentia prædicantur de subiecto: ut, Cæsar uenatur, Virgilius est poëta, Leges sunt uinculũ humanæ societatis. Remota siue impoßibilis propositio est, cum diuersæ species connectuntur, ut homo est asinus. uel quando contraria connectuntur: ut, sapiens est stultus.

De paßionibus siue proprietatibus Propositionum.

Tres sunt proprietates, siue accidentia propositionum: nempe, Oppositio, Conuersio, & Aequipollentia.

Quid est Oppositio?

Est duarum propositionum categoricarum, eiusdem subiecti & prædicati, repugnantia. Cuius quatuor sunt species, scilicet, Contraria, Subcontraria, Contradictoria, & Subalterna.

Contraria, est uniuersalis affirmatiua, & uniuersalis negatiua: ut, Omnes homines sunt mortales, Nullus homo est

mort

mortalis. Hæ nunquam simul ueræ esse possunt, si sunt ex definitionum partibus conflatæ. Falsæ autem simul esse possunt, in contingenti materia.

Subcontraria est, particularis affirmatiua & particularis negatiua: ut, Quidam homines sunt honesti, Quidam homines non sunt honesti. Hæ simul ueræ esse possunt in contingenti materia.

Contradictoria, est uniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua: ut, Omnis iniuria temeraria est, Quædam iniuria non est temeraria. Aut duo singulares, affirmatiua & negatiua: ut, Omnis iustitia est uirtus, Quædam iustitia non est uirtus. Aut duæ infinitæ: ut, Aeneas pius est, Aeneas pius non est. Hæ nunquam possunt simul esse ueræ, aut falsæ. est igitur perpetua contradicentium pugna: ut, Nullum opus iustificat, Quoddam opus nostrum iustificat.

Subalterna, est uniuersalis & particularis, utraque affirmatiua: ut, Omnis homo est mortalis, Quidam homo est mortalis. Hæ inter se non dissentiunt. Habes itaque leges & naturas propositionum oppositarum.

QVADRVPLICIS OPPOSItionis Diagrama.

Omnis

Omnis homo currit. *Nullus homo currit.*
Omnis homo est iustus. *Nullus homo est iustus.*

CONTRARIAE

SVBALTERNAE

CONTRADICTORIAE

CONTRADICTORIAE

SVBALTERNAE

SVBCONTRARIAE

Quidam homo currit. *Quidam homo non currit.*
Aliquis homo est iustus. *Aliquis homo non est iustus.*

DE CONVERSIONE *propositionum.*

Quid est conuersio.

Est propositionum duarum inter se, quantum ad uerborũ structuram attinet, præpostera mutatio: hoc est, quando subiectum in prædicatum, & prædicatum in subiectum conuertitur. Et est triplex: nempe, Simplex per Accidens, & Contrapositionem.

Conuersio simplex est, quando propositio simpliciter uertitur, manentibus eisdem signis: ut, Nullus homo est lapis, Nullus lapis est homo. Vertitur hoc modo uniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua: ut, Nulla uirtus est inhonesta, ergo, Nullum inhonestum est uirtus.

Conuersio per accidens est, cum non tantum subiectum & prædicatum tranferuntur, sed etiam signum uniuersale in particulare mutatur: hoc modo conuertitur uniuersalis affirmatiua in particularem affirmatiuã: ut, Omnis homo est animal, Ergo Quoddam animal est homo: Omnis Christianus est studiosus bonorum operum, ergo Quidam studiosus bonorum operum est Christianus.

Conuersio per contrapositionem est, quando ex subiecto fit prædicatum, & ex prædicato subiectum, manente eadem qualitate & quantitate, sed conuersæ propositioni interpositis negationibus, in hunc modum: Omnis homo est animal, ergo Quodcunque animal non est, nec homo erit: Omnis uoluptas est expetenda, ergo, Quodcunque non expetitur, non potest esse uoluptas.

De æquipollentia Propositionum.

Aequipollentia est, propositionum inter se concordia, uel æquiualentia, iuxta negationem præpositam, uel postpositam tantum: uel præpositam, & postpositam simul. Sunt enim æquipollentiæ, mutationes sermonis, alijs atque alijs uerbis factæ: ut, Nemo non trahitur uoluptate: æquipollet huic, Trahit quẽque sua uoluptas Item, Omnis forma est periculosa ad tutandam pudicitiam, Nulla non forma periculosa est ad tutandam pudicitiam. Aequipollentiæ itaque & conuersiones, à Grammaticis petendæ ueniunt. sunt enim aliud nihil, quàm loquendi rationes.

De propositione modali.

Propositio modalis est, quæ modo ex his quatuor aliquo determinatur, cuiusmodi sunt: Poßibile, impoßibile contingens, & necesse. ut, Christianos necesse est multa pati, Poßibile est iuuenem citò mori, Impoßibile est senem diu uiuere, Con tingens est Ioannem frangere gulam. Omnes tales propositiones, & similes, Categoricæ sunt. de quarum disputatione ad curiosum Dialecticum remittimus.

De propositione Hypothetica.

Hypothetica propositio, quæ à Categorica non distinguitur, nisi per accidens, est, cum duæ propositiones Categoricæ, per coniunctionem coniunguntur. Græco quidem nomine hypothetica dicta est, Latinè uerò non ineptè conditionalis appellatur. Cuius species sunt: Conditionalis, ut, Si iustitia est, honesti species est. Hæc propriè, ac penè sola meretur uocari Hypothetica.

Copulatiua: ut, Sol diurnum sidus est, & Luna nocturnum. Sed de his satis. nam nouellis Dialecticæ tyronibus hæc scripsimus, quibus eos contentos nunc esse uolumus.

*

Finis libri Quarti.

DE AR

DE ARGVMENTATIONE, FORMIS ET *modis argumentandi, Dialecticarum institutionum,*

LIBER V

QVoniam superioribus libris de partibus argumentationis, nempe de simplicibus terminis, & propositionibus, quæ sunt argumentationis elementa, egimus: restat, ut ad argumentationem ipsam, tãquam ad totum, uiam muniamus. Frustra enim partes struuntur, nisi ex eis totum conficiatur. Igitur nunc de parte iudicatiua, in qua tota argumentatio docetur, disserendum. Primùm itaque, quid sit argumentatio, & argumentari, dicendum: Quo differant argumentum & argumentatio. Quot argumentorum species & partes. Quis usus formarum argumentandi. Quid Syllogismus, & unde dicatur, & quotuplex sit syllogismus, prælibandum duximus.

Præfatiuncula.

Argumentatio, est iusta argumenti per orationem explicatio. Est enim ratio, rem aliquam aut probabiliter ostendens, aut necessariò demonstrans.

Argumentari itaque latinè est, aliquid ex alio colligere. uel, ex præmißis conclusionem ostendere, tanquam ex notioribus minus nota.

Non est autem argumentari, quocunque modo propositiones connectere, sed sic connectere, ut sequatur bona consequentia, id est, consensio propositionum. Ideò si dixeris, Dies est serena, ergo tu es nebulo: non est argumentatio, quia nulla est consequentia. prior enim, non est causa consequentis.

Differunt ideo argumentum & argumentatio. nam Argumentum est probabile inuentum, uel ratio, qua inuenitur propositio: id est ratio, quæ confirmat propositionem, quæ ad faciendā fidem adhibetur. Solertia autem, est animi promptitudo, qua facile argumentum inuenitur. uel, est medium & causa, connectens prædicatum conclusionis cum subiecto. Argumentatio autem est oratio, qua probationem rei probandæ accommodamus, per necessariam conclusionem.

Species autem formæ argumentationis sunt quatuor: scilicet, Syllogismus, Enthymema, Inductio, Exemplum. Sed rectè additur Sorites, latinè aceruus, siue coagmentatio, de quibus in hoc libro erit tractandum. præcipuè tamen omnium maximè de syllogismo, qui est omnium specierum argumentationis præcipua pars, & præstantissima, ad quam & cæteræ quodammodo, ut solent imperfectiora ad perfecta, reducuntur.

Duæ sunt argumentationis partes, nempe Materia & Forma. Materia est res ipsa, unde sumitur probatio, qua fidem facere conamur. De materia in Topicis tractatur: ibi enim loci inuentionis ostenduntur. hîc autem formæ argumentationis traduntur. Est autem forma argumenti ipsa dispositio, & connexio membrorum in argumentatione.

Vsus autem formarum argumentandi est, prosunt enim ad dijudicandam consequentiam, hoc est recténe cohæreant aut consentiant membra, in argumentatione.

Consequentia, consensio dicitur. Est enim consequentia, connexio & coagmentatio propositionum cum regulis.

Syllogismus est, ex quo necessariò conclusio, ídque ex duabus propositionibus, colligitur: Latinè Ratiocinatio dicitur. Cicero sæpè uocat orationis conclusionem. Et est duplex syllogismus, Categoricus & Hypotheticus.

Categoricus, siue prædicatorius, est cuius utraque propositionum sumptarum, pariter & conclusio, Categorica est.

Hypotheticus est, cuius uel altera tantum, uel conclusio, hypothetica est.

Categoricus præterea duplex est, Communis & Expositorius: de quo infrà dicemus.

Communis est, cuius medium est terminus communis. Syllogismus categoricus communis item est duplex: Perfectus, & imperfectus.

Perfectus est, qui nullius indiget alterius, ad hoc ut appareat necessarius.

Imperfectus, qui indiget unius, aut plurium, ad hoc ut appareat necessarius.

Finis præfatiunculæ.

DE SYLLOGISMO CAtegorico.

Quid est syllogismus categoricus?

Est argumẽtatio, in qua è tribus terminis duæ propositiones ita cõficiuntur, ut ex his cõclusio necessariò sequatur. ut,

Omnis ueritas parit odium.
Prædicatio Euangelij est ueritas,
Ergo prædicatio Euangelij parit odium.

DE PARTIBVS SEV PRINcipijs materialibus & formalibus syllogismi.

Quadruplicia sunt in uniuersum principia syllogismorum scilicet, Materialia, Formalia, Canonica, & Reducentia.

Materialia quidem sunt termini, & duæ propositiones. Terminus autem hic pars propositionis est, scilicet subiectum & prædicatum. Constat igitur syllogismus ex tribus uocibus, seu terminis, duabus propositionibus, & conclusione, tan-

quam ex materia. Simplices partes, termini uocantur: coniunctæ uerò, propositiones. Terminorum autem tria nomina, seu uocabula, ad syllogismorum compositionem necessaria, uocantur, Maior, Minor, & Medium: quod medium quasi nodus & uinculum aliorum duûm terminorum existit, quos quoque terminos maiores & minores propositionum extremitates uocamus.

Componitur itaque syllogismus ex tribus terminis dictis, & duabus propositionibus: quarum prima propositio appellatur maior, altera minor, siue assumptio: ex quibus sequitur conclusio, siue complexio. Ex quibus maior & minor, propositiones, communi nomine Præmissæ uocantur, eo quòd antecedunt conclusionem.

Tres uerò termini sic discernuntur nominibus. Maior terminus, siue maior extremitas uocatur, qui in prima propositione tantum ponitur, siue prædicatum conclusionis. Minor extremitas, siue terminus est, qui in minori propositione tantum ponitur; siue subiectum conclusionis. Medium est terminus bis sumptus, in duabus propositionibus præmissis: sic appellatum, eo quòd hoc uocabulo maior & minor extremitates conueniunt. Vel quòd præposita uelut extrema coniungit tanquam uinculum.

Conclusio dicitur, in qua maior extremitas prædicatur de minore.

Principia formalia syllogismorum sunt, Figura & modus. Principia autem Canonica, siue regulatiua, sunt sex regulæ sequentes, principia uerò Reducentia sunt ostensiua, & ad impoßibile. de quibus omnibus in suis locis dicturi sumus.

DE INVENTIONE MEDIJ annexum.

Medium probandi ueritatem, uel falsitatem rei propositæ

sitæ, inuenitur per locos Dialecticos. Est autem locus Dialecticus, quasi signum quoddam, quo monemur, unde petamus causam, siue medium, siue argumentum.

Est igitur medium, aut genus, aut causa, aut effectus, aut pars definitionis, aut repugnans: ut patebit in Topicis.

DE FIGVRA ET MOdo Syllogismorum.

Ad syllogismorum compositionem duo requiruntur, scilicet Figura & modus: quæ sunt principia formalia syllogismorum.

Figura, est legitima dispositio medij, in duabus propositionibus, ita ut aptè subijciatur & prædicetur.

Modus, est legitima dispositio præmissarum, in debita qualitate & quantitate.

QVOT SVNT OMNIVM figurarum modi?

Modi primæ figuræ quatuor sunt numero: nempe, Barbara, Celare nt, Darij, Ferio. Secundæ figuræ similiter quatuor, Cæsare, Camestres, Festino, Baroco. Tertiæ sex: Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison. Ex quibus omnibus priores quatuor figuræ syllogismos constituunt perfectos, reliqui imperfectos.

Quid indicant literæ modis figurarum interpositæ?

Vocales paßim omnibus modis interpositæ, primùm A, significat uniuersalem affirmatiuam: E, uniuersalem negatiuam: I, particularem affirmatiuam: O, particularem negatiuam.

Secundò consonantes.

B C D F literæ capitales: & minusculæ, c, m, p, s, om-

nibus alijs, à prioribus & primæ figuræ modis admixtæ: B significat reduci ad Barbara, C ad Celarent, D ad Darij, F ad Ferio: c, quod non est principium dictionis, ad impoßibile duci: m, transpositionem præmissarum: s, simpliciter uerti, p, uerò per accidens.

DE FIGVRIS SYLLOgismorum.

Figuræ syllogismorum tres sunt numero: quæ describuntur diuersa dispositione medij, in præmißis.

Prima figura.

Est in qua medium subijcitur in prima, & prædicatur in secunda, hoc modo:

BAR Omne animal est substantia,
BA Omnis homo est animal. Ergo
RA Omnis homo est substantia.

BAR Omnis legitima uindicta, quæ fit per magistratum, est licita Christianis:
BA Omne legitimum bellum est uindicta, quæ à magistratu exercetur: Ergo
RA Omne legitimum bellum est licitum Christianis.

CE Nullum honestum est turpe,
LA Omnis uirtus honesta est, Ergo
RENT Nulla uirtus est turpis.

CE Nullus idolatra poßidebit regnum Dei,
LA Omnis auarus est idolatra, Ergo
RENT Nullus auarus poßidebit regnum Dei.

DA Quicquid meretur gratiam Dei, iustificat:
RI Fides meretur gratiam Dei, Ergo
I Fides iustificat.

DA Omnis ars requirit doctrinam & exercitationem,
RI Eloquentia est ars, Ergo

I Eloquentia requirit doctrinam & exercitationem.

FE Nemo malus fert lucem,

RI Anabaptistæ sunt mali, Ergo

O Anabaptistæ non ferunt lucem.

FE Nullus stultus est liber,

RI Clodius est stultus, Ergo

O Clodius non est liber.

Secunda figura.

Est in qua medium prædicatur in utrisque, in hunc modum:

CE Nullus lapis est animal,

SA Omnis homo est animal, Ergo

RE Nullus homo est lapis.

CE Nemo possidebit regnum Dei, qui habet propositum peccandi:

SA Omnis scortator habet propositum peccandi, Ergo

RE Nullus scortator possidebit regnum Dei.

CAM Omnes mali oderunt iustitiam,

ES Nulli boni oderunt iustitiam, Ergo

TRES Nulli boni sunt mali.

CAM Omnis homo est animal,

ES Nullus lapis est animal, Ergo

TRES Nullus lapis est homo.

FES Nullus Christianus est fœnerator,

TI Iudæi sunt fœneratores, Ergo

NO Iudæi non sunt Christiani.

FES Nulli filij Dei contemnunt Sacramenta,

TI Phanatici contemnunt Sacramenta, Ergo

NO Phanatici non sunt filij Dei.

BA Qui ex Deo sunt, uerba Dei audiunt,

RO *Iudæi uerba Dei non audiunt,* Ergo
CO *Iudæi non sunt ex Deo.*
BA *Omnis homo est animal,*
RO *Quidam lapis non est animal,* Ergo
CO *Quidam lapis non est homo.*

Tertia figura.

Est, in qua medium subijcitur in utraque. Nonnulli *hanc tertiam figuram negant, eo quòd non tam molliter, sicut primæ duæ, incedat.* Continet *itaque hæc tertia figura sex modos, scilicet,*

DA *Omne ius naturale concedit uim ui depellere:*
RAP *Omne ius naturæ est ius diuinum,* Ergo
TI *Ius diuinum concedit uim ui depellere.*
DA *Omnis superbia habet infelices exitus,*
RAP *Omnis superbia oritur ex rebus secundis,* Ergo
TI *Aliquæ res secundæ habent infelices exitus.*
FE *Nulla uirtus fugienda est,*
LAP *Omnis uirtus labore paratur,* Ergo
TON *Quidam labor non est fugiendus.*
FE *Nulli superbi in cœlo locum habent,*
LAP *Omnes superbiunt propter res secundas,*
TON Ergo, *Quidam propter res secundas non habent locum in cœlo.*
DIS *Quidam cibus est uenenosus,*
AM *Omnis cibus nutrit,* Ergo
IS *Quoddam nutrimentum est uenenosum,*
DIS *Pauli prouocatio fuit licita,*
AM *Omnis prouocatio est iudicio contendere,*
IS Ergo, *Contendere iudicio est licitum.*
DA *Omnibus magistratibus est obtemperandum,*
TIS *Quidam magistratus iniqua præcipiunt,*

I Ergo, Aliquibus iniqua præcipientibus est obtemperandum.

DA Omnes authorum libri sunt perlegendi,
TIS Quidam authorum libri sunt mali, Ergo
I Quidam autores mali sunt perlegendi.

BO Quidam docti non sunt boni,
CAR Omnes docti norunt ueritatem, Ergo
DO Quidam qui norunt ueritatem, non sunt boni.

BO Quoddam bellum non est fugiendum,
CAR Omne bellum est calamitosum, Ergo
DO Quædam calamitosa non sunt fugienda.

FE Ecclesia nunquam fuit sine uero cultu,
RIS Ecclesia multis seculis fuit sine templo, Ergo
ON Templum non est uerus cultus Dei.

FE Nullæ eleemosynæ delent peccata,
RIS Pleræque eleemosynæ sunt opera bona,
ON Ergo, Quædam opera bona non delent peccata.

Hic Scoti quartam figuram effinxerunt, minus tamen necessariam, & curiose confictam: Ideo omittendam esse censuimus.

DE REDVCTIONE SEV PERFECTIONE *Syllogismorum.*

Tria sunt instrumenta, quibus imperfecti syllogismi ad perfectos reduci possunt: Conuersio, præmissarum transpositio, & syllogismus ad impoßibile ducens.

Præmissæ tunc transponuntur, quando ambo locum mutant, ita ut ex maiore minor & ex minore uicißim maior fiat: ut est uidere in modis, Camestres & Disamis.

Reductio autē per impoßibile, est, quando ex opposito contradictorio cōclusionis, cum altera præmissarū infertur oppositum

situm alterius præmissæ, iuxta hos uersiculos:
Seruat maiorem, uariátque secunda minorem.
Tertia maiorem uariat, seru átque minorem.
Vt est uidere in modis, Baroco & Bocardo.

DE REGVLIS GENERALIBVS *syllogisticis, quæ ostendunt, sitne conclusio syllogistica argumentatio, hoc est formalis consequentia, nec ne.*

Prima regula.

Ex solis negatiuis nihil sequitur: ut,
Nulla uirtus est inhonesta,
Nulla iniustitia est uirtus, Ergo
Nulla iniustitia est inhonesta.

Secunda regula.

Ex solis particularibus non potest effici Syllogismus: ut,
Quidam homines sunt casti,
Petrus est homo, Ergo
Petrus est castus.

Tametsi casu nonnunquam, ex particularibus & negatiuis solis sequitur conclusio: hoc tamen non est perpetuum.

Tertia regula.

In Syllogismo non debent esse plures termini quàm tres, neque æquiuocatio, siue ambiguitas.

Exemplum primi.

Omnis magistratus debet uim iniustam ui depellere:
Petrus est Apostolus, Ergo
Petrus debuit uim ui à Christo depellere. Hîc quatuor sunt termini, Magistratus, ui depellere, Petrus, & Apostolus.

Exemplum secundi ex Amphibolis.

Sacerdotes ueteris Testamenti sacrificarunt externas ui-
ctimas

ctimas pro peccatis:

Homines Christiani sunt Sacerdotes

Ergo homines Christiani sacrificabunt externas ui ctimas pro peccatis.

Hic ex amphibologia quatuor sunt termini. Nam in maiore, sacerdotes ad Mosis regnum spectant, quod nũc cessauit: In minore, sacerdotes noui Testamenti intelliguntur, & sunt spirituales, offerentes spirituales hostias.

Regula quarta.

Medium, non debet usurpari in conclusione: ut,

Omnis homo est animal.

Omne animal est substantia, Ergo

Omne animal est substantia.

Quinta regula.

Conclusio imitatur debiliorem partem præmissarum. Itaque quoties una præmissarum fuerit particularis, conclusio quoque erit particularis. Quod si una præmissarum fuerit negatiua, conclusio erit negatiua. Et ab hac syllogismus nomen accipit. Quòd si hæc uniuersalis fuerit, uniuersalis est: si particularis, particularis: si negatiua, negatiuus censendus est syllogismus.

Sexta regula.

Non ualet argumentatio, à non distributo ad distributum: hoc est, cum ex præmissa particulari colligitur conclusio uniuersalis: ut,

Lasciua scripta non sunt legenda pueris,

Poetæ sunt lasciui, Ergo

Nulli poetæ sunt legendi pueris.

DE REGVLIS SPECIALIBUS Annotatio.

Prim

Prima regula.

Maior, in prima & secunda figura perpetuò est uniuersalis, nunquam uerò particularis. Secus est in tertia figura. ibi enim maior potest esse etiam particularis.

Secunda regula.

Minor, in prima & tertia figura semper est affirmatiua, nec unquam potest esse negatiua: in secunda uerò figura, potest esse negatiua.

Tertia regula.

In prima & secunda figura sunt conclusiones uniuersales: in tertia tantum particulares, nunquam autem uniuersales.

DE SYLLOGISMO EXpositorio.

Syllogismus expositorius est in quo medium est terminus singularis, seu indiuiduum, in utraque propositione, & habet dispositionem tertiæ figuræ. Nihil itaque aliud est Syllogismus expositorius, quàm id quod rhetores præcipiunt, sententiam explicare per exempla & subiecta : ut cum ita argumentamur,

Iste est seruatus à ueneno,
Iste est usus ruta,
Ergo, utentes ruta seruantur à ueneno.

DE ENTHYMEMATE, SEV syllogismo imperfecto.

Quid est Enthymema?

Est syllogismus imperfectus & mutilatus, cum maior propositio aut minor deest: ut,

Grachi fuerunt seditiosi,
Ergo Grachi iure cæsi sunt.

Constat ergo Enthymema duabus propositionibus: prior uoca

uocatur antecedens, altera uerò consequens.

Omittitur autem una præmissarum, propter breuitatem, aut planam notitiam. Vnde si prædicatum antecedentis & consequentis idem est, deest minor, ut integer fiat syllogismus: Si subiectum antecedentis & consequentis idem est, deest maior, ut fiat integer syllogismus.

Exemplum primi.

Iustitia fidei est res bona,
Ergo apprehendenda est.

Maior deest: Omnis res bona est apprehendenda.

Exemplum secundi.

Vim ui pellere licet,
Igitur Clodius iure interfectus est à Milone.

Minor deest: Milo uim Clodij repulit.

DE INDVCTIONE.

Quid est inductio?

Inductio est argumentatio, in qua ex multis singularibus colligitur sententia uniuersalis, uel è partibus totum genus è speciebus: ut, Plebs Romana optimè de Platone sentit, Equester ordo optimè de eodem sentit, itidem senatus: Totus igitur populus Romanus optimè de Platone sentit. Item, Vinum Rhenense calefacit, uinum Creticum calefacit, uinum Rhetirum calefacit: Ergo omne uinum calefacit.

DE EXEMPLO.

Quid est exemplum?

Est argumentatio, in qua unum particulare per aliud probatur: id est, in qua è similibus ratiocinamur similia, ubi alterum ex altero, propter similitudinem, quæ in utroque reperitur, probamus. Nam similitudo est causa consequentiæ in exemplis: ut, Pharao punitus est propter persecutionem Ecclesiæ, Ergo & Nabuchodonosor dabit pœnas. Item, Si

Marcus Attilius Regulus uitam amittere, quàm à fide discedere maluit: Ergo fides hostibus seruanda.

Hic autem cauendum est, ne aliqua dißimilitudo subsit. Nam ut similitudo est in exemplis causa consequentiæ: ita dissimilitudo facit, ut consequens cum antecedente cohærere nequeat. ut Discipuli Christi bona sua in commune conferebãt. Acto. 4. Ergo debemus bona omnia in commune conferre. Hic dißimilitudo est. nam discipuli seruiebant tempori, quia tyranni rapiebant possesßiones eorum qui profitebãtur Christum. nunc uerò non est eadem causa.

DE ALIIS QVIBVSDAM argumentandi formis secundarijs: & primò de Sorite.

Quid est Sorites, siue Coaceruatio?

Est forma argumentationis, in qua coaceruantur uoces necessariò cohærentes: ut genera, species, causæ, affectus.

Homo est animal,
Animal est corpus uiuum,
Corpus uiuum est substantia.

Et potest redigi in syllogismum, accipiendo secundam partem pro subiecto, in hunc modum:

Omne animal est corpus animatum,
Omnis homo est animal,
Ergo, Omnis homo est corpus animatum.

DE DILEMMATE.

Quid est Dilemma?

Est argumentandi ratio, in qua utrum concesseris, reprehenditur. Latini uocant comprehensionem, quòd undique aduersarium comprehendat, ne elabatur, hoc modo:
Si improbus est, cur uteris? Si probus, cur accusas?
Item Morere, si casta es: uiue, si incæsta amore.

Reliqua

Reliqua à Trapezuntio petas.

DE SYLLOGISMO hypothetico.

Hactenus dictũ est de Syllogismo categorico, qui ex propositionibus categoricis constat. Iam de hypothetico syllogismo pauca differenda sunt, qui aut alteram præmissarum tantum, aut conclusionem habet hypotheticam. Constat itaque syllogismus hypotheticus ex iisdem, quibus Categoricus, unde robur suum accipit: hoc est, Maiori, Minori, & Conclusione. Præscribuntur quoque modi de syllogismo hypothetico: sed hoc loco non sunt aliud nisi formæ quædam, & quasi præscriptæ leges ipsorum syllogismorum. cuiusmodi sunt:

A positione antecedentis, ad positionem consequentis, recte procedit argumentum: ut,

Si homo est, animal est.
Atqui homo est, igitur est animal.

A destructione consequentis, ad destructionem antecedentis, ualet consequentia: ut,

Si homo est, animal est,
Atqui animal non est, igitur nec homo.

In repugnantibus posito antecedente, ut consequens tollatur, recte argumentamur: ut,

Non si dies est, nox est:
Atqui dies est, non est igitur nox.

Sed de his satis. non enim est opus diutius hic immorari, nec omnia recensere obscura usui humano perparum utilia, ne remorentur adolescentes à reliquo utilißimo Dialecticæ studio. Satis enim sit incipientibus, hæc prima prælibasse elementa.

Finit Liber Quintus. Sequitur Sextus.

DE DEMONSTRATIONE, SIVE SYLLOgismo Demonstratiuo Analytico, Liber Dialecticæ traditionis Sextus.

Absoluta ea Dialectices parte, qua diximus quid sit Argumentatio, totius Dialecticæ materia, quæ, & quot eius species, quomodo syllogismus categoricus & hypotheticus ex principiis materialibus & formalibus constituitur, in omni modo & figura formandus: Superest nunc alia syllogismi diuisio, quam Aristoteles primo Topicorum in initio constituit, quo diuiditur syllogismus secundum materiam, in Demonstratiuum, Dialecticum, & Sophisticum: quorum omnium definitiones, ne ex ignotis procedamus, in principio huius libri sexti aßignando citabimus. Et primùm, quid sit syllogismus demonstratiuus Analyticus, & quid demonstratio, de qua hic agitur, enodabimus hoc modo.

Quid est Syllogismus Demonstratiuus?

Est, qui constat ex proprositionibus necessariis, Sunt autem propositiones necessariæ, quando prædicatum necessariò cohæret cum subiecto: ut,

Omne animal rationale est capax disciplinæ.
Omnis homo est animal rationale.
Igitur omnis homo est capax disciplinæ.

Quid est syllogismus Dialecticus?

Est, qui ex probabilibus conficitur. Est autem probabile, quod plerumque euenit, & ita se habet. potest tamen aliculi

aliter

aliter accidere, cum attributum est accidens: ut,

Omnis mater diligit filium, Medea est mater,

Ergo diligit filium: hæc autem interfecit filium.

Quid est syllogismus Sophisticus?

Est, qui est ex his quæ uidentur probabilia, non sunt autem: ut,

Exercitia fortitudinis sunt licita,

Furta sunt exercitia fortitudinis,

Ergo furta sunt licita.

Minor est falsa. nam fortitudo, quæ est propugnatrix iustitiæ, non debet pugnare contra iustitiam.

Quid est Demonstratio, tum etiam quid sit scire?

Demonstratio, est syllogismus ex propositionibus necessariis, aut ex principiis legitima consequentia factis: ut cùm à definitione uera, à genere, à specie, à differentia, à proprio, à toto, & partibus, à causa propria, uel effectu, à natura pugnantium, iuxta regulam consequentiarum ritè argumentamur: ut,

Omni ordinatio Dei est licita,

Magistratus est ordinatio Dei,

Ergo magistratus est res licita.

Ergo Aristoteles in Analyticis definit demonstrationem esse ex ueris, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, causísque conclusionis. Et idem ait: Demostratio est syllogismus faciens scire. Scire autem est, causam rei cognoscere, propter quam res est, quoniam illius est causa. & quoniam non est contingere, hoc aliter se habere: hoc est, ex causis & præmißis ueris sequitur conclusio uera. Ideo syllogismus demonstratiuus generat scientiam, quia proficiscitur ex principiis certis & necessariis.

Vnde scientia est notitia, in qua mens propter demonstrationem assentitur dicto.

Opinio uerò, est notitia, quæ habet tantum propositiones probabiles, non autem demonstrationem.

Vocatur itaque demonstratio Syllogismus necessarius. Nam quemadmodum ea quæ ostenduntur oculis, id est sensu & experientia, certa sunt: ita mens non potest non assentiri iis, quæ ex principiis ueris demonstrant certitudinem.

DE PRINCIPIIS.

Principia sunt notitiæ diuinitus insitæ à natura, quæ nobiscum nascuntur, & quibus omnes sanæ mentis assentimur, quæ non indigent probatione, sed alia ex his probantur. Et sunt causæ certitudinis in artibus, súntque initia artium omnium. Dicuntúrque ideo certa, quia dato contrario sequitur naturæ corruptio: ut, Societatem seruandam esse, est certum.

Sunt autem principia duplicia. Alia enim sunt Theorica, siue speculabilia, quæ regunt cognitionem: ut, physica. Alia sunt principia practica, quæ regunt actionem: ut, Ethica.

Exemplum Theoricæ.

Vt totum est maius sua parte. Item: Quicquid fit, ex aliqua causa fit. Item: Si ab æqualibus æqualia demas, quæ relinquuntur, sunt æqualia. Exemplum secundi, ubi principia sunt leges naturæ, quæ gubernant actiones, pariunt Ethicam scientiam, Politicam, Oeconomicam, & iuris prudentiam: ut, Deum colere, eique obedire: Societatem ciuilem conseruare: Magistratũ constituere: Flagitia prohibere: Suum cuique tribuere, Neminem lædere, & id genus alia.

Sequitur, quòd duæ sint causæ certitudinis in omni scientia: scilicet, Principia, quæ gignunt demonstrationes: & Experientia, quæ parit inductionem. Et ideo experientia artem facit, Inexperientia casum. Quare opinio non est scientia,

ut dictum est.

DE DIVISIONE DEmonstrationis.

Duplex est demonstratio : scilicet , propter quid & quia est.

Demonstratio propter quid, est in qua medium est causa propinqua. Est autem causa propinqua, quæ cum effectu conuertitur. Demonstratio autem quia est, est, in qua medium est effectus, aut causa remota: ut, Credere promißioni, est causa propinqua iustificationis. Illa igitur argumentatio , quæ à causa ducitur, uocatur argumentatio à priori: quia causa natura prior est effectu. Argumentatio quia est, dicitur à posteriori, quia effectus natura est posterior causa : hoc est effectus natura sequitur suam causam. Vel, Demonstratio propter quid, est quæ ex primis principiis constat. Demonstratio autem quia est, est, quæ fit ex propositionibus collectis ex primis principiis, quæ habent firmā causam ex principiis ueris.

Exemplum, vbi medium est causa propinqua.

Credentes promißioni sunt iusti & sancti,
Ecclesia credit promißioni, Ergo
Ecclesia est iusta & sancta.

Credere promißioni, est causa propinqua iustificationis, quia conuertitur cum effectu: scilicet, iusti sunt, quia credunt promißioni.

Exemplum Quia est.

Iusti credunt promißioni,
Ecclesia est iusta,
Ergo, Eccesia credit promißioni.

Hic ex effectu causa colligitur , à posteriori, scilicet credere promißioni.

Exemplum propter quid.

Lumen propinquum non ſcintillat,
Planetæ ſunt propinqui,
Ergo, Planetæ non ſcintillant.

Hic ex cauſa propinqua effectus colligitur. Longinquitas enim eſt cauſa ſcintillationis.

Ex omnibus iam dictis colligitur, quòd demonſtratio ex eadem materia & forma conſtat, quemadmodum ſyllogiſmus ſimpliciter dictus: niſi quòd ſyllogiſmus demonſtratiuus, fit ex cauſis primò ueris, immediatis, uniuerſalioribus, & neceſſariis, & perpetuis principiis. Et ideo ſcientia, quæ ex eiſdem conflatur per ſyllogiſmum demonſtratiuum, eſt uerorū, neceſſariorum, æternorum, & impoßibile aliter ſe habentium. Et illa quidem, ex quibus conſtāt principia, uocantur Axiomata, id eſt, dignitates, eo quòd in ſcientia eis fides habenda. Dicuntur & rurſus Maximæ, Loci communes: id eſt, prima principia, & indubitatæ propoſitiones, ſiue maximæ propoſitiones. Dicuntur Poſitiones, Suppoſitiones, ſeu potiùs præcognitiones, quæ tanquam uera principia præſupponuntur in omni arte.

DE QVATVOR QVAESTIOnibus ſcibilibus.

Poſtremò autem de quæſtionibus ſcibilibus hac in parte nonnihil dicendum eſt. Sunt autē numero quatuor, quæ ſunt: Quod eſt, Propter quid eſt, Si eſt, & quid eſt. Quæſtiones quidem dictæ, quòd per has quærimus de qualibet re, in unaquaque ſcientia.

Quærimus ergo aut de ſimplici, aut de compoſito. Simplex quidem hoc loco intelligitur, quod ſeorſum ex uno aliquo decem generum ſumitur: ut eſt, uel Deus, uel homo, uel Centaurus. Compoſitum autem: ut, Vtrum Luna deficiat: aut

utrum iustum natura, aut lege potius, & institutione hominum, constet. Quoties igitur de simplici quærimus, prima & obuia protinus quæstio est, An sit. Secunda, Quid sit. Primum nanque quærimus, An sit Deus: deinde, Quid sit Deus. Si autem de composito quærimus, prima quæstio est, an subiecto prædicatum insit: secunda, quamobrem insit: hoc est, propter quid. Nam simul ac dicimus, lunam deficere contingenter, quamobrem deficiat, quærimus. Et hæc de Demonstratione dicta satis sint.

Finit Liber Dialecticæ tractationis Sextus.
Sequitur de locis Dialecticis
Septimus.

DE INVENTIONE LOCORVM DIALECTICORUM, siue de locis Dialecticis,

LIBER VII.

HActenus de ea Dialectices parte, quæ Iudicatiua dicitur, disputatum est, quæ aut definit, aut diuidit, & quod ad formas argumentorum attinet, utcunque absoluit. Nunc uerò de Topica, siue de Inuētiua Dialectica, quæ locos nobis ostendit & subministrat, à quibus argumenta ad quamlibet quæstionem depromi poßint, disputandum est. Primùm igitur, quid Topica sit, & unde dicatur: quid locus, & quæ ex locis oriuntur argumenta ad causam aliquam probandam. Deinde, quomodo diuidatur locus ipse Dialecticus, describamus oportet.

Quid est Topica?

Topica est ars inueniendi argumenta, & res, per locos: unde nomen habet, quia ostendit locos, & tanquam signa, quæ admonent, quid de quolibet negotio cogitandum & dicendum sit.

Inuentio autem est medij, siue argumenti, ad probandum necessarij, peruestigatio. Inuenitur itaque medium, siue argumentum, quo probatur prædicatum conclusionis de suo subiecto affirmari, aut negari, per locos Dialecticos.

Quid est locus Dialecticus?

Est sedes, seu index argumenti: hoc est, quasi domicilium quoddam, in quo delitescit medium illud, seu argumentum, seu materia, de quocunque themate disserendi.

Differunt tamen argumentum, & argumentatio: quoniã argumentatio est, argumenti per orationem, id est, per uarias rationes, explicatio. Vel est, quæ aliud ex alio colligit, & argumentis aliquid ostendit, ut rei, de qua agitur, fides fiat.

Argumentum, est uis illa, item sententia & ratio, id est, medium & causa, quæ oratione clauditur: hoc est argumentatione, cum Thema probatur ambiguum.

QVOMODO EX LOCIS ERVENda sunt argumenta: vel, quomodo sunt colligendæ propositiones, ad causam aliquam probandam, vel tractandam.

In omni propositione duo sunt membra præcipua, subiectum & prædicatum. Vtrunque igitur membrum separatim est considerandum, qua parte facilius & commodius argumenta peti possint, an à subiecto, an à prædicato: atque sic ex eius natura argumenta & probationes promendæ sunt. Exempli gratia: Philosophia est digna cognitione. Confirma

hanc

hanc propositionem argumento. Sumes igitur argumentum à subiecto,

Philosophia est ueritas Dei.

Ergo est digna cognitione.

Medium scilicet illud est, causa probans & connectens prædicatum cum subiecto in conclusione.

Item magistratus est colendus: à subiecto duces argumentum, id est medium probandi, à causa efficiente, quòd Deus ordinauerit. Nam magistratus Dei est ordinatio. Sic ergo argumentaberis:

Dei ordinatio est colenda,

Magistratus est ordinatio Dei,

Ergo magistratus est colendus.

De diuisione locorum.

De diuisione locorum Dialectici non constant, hoc est, dissentiunt: de quo nihil moramur, sed paucis diuisionibus nos sic absoluimus.

Loci itaque primò diuiduntur in Maximas, & differentias maximarum.

Loci maximæ dicuntur propositiones quædam indubitatæ, atque adeò certæ, ut ipsæ probatione non egeant, atque ob id Enthymematis ex locis dictis tantum confirmandis adhibentur. Dicuntur autem loci, quia continent cæteras propositiones, & per eas fit consequens & rata conclusio. Loci autem dicuntur differentiæ maximarum, quibus maximæ à maximis differunt. ut, Definitio est differentia maximæ huius. Cuicũque non conuenit definitio, nec definitum: qua iam hæc maxima ab omnibus alijs differt.

Loci quoque differentiæ maximarum diuiduntur rursus in locos internos, & externos.

Loci interni dicuntur, qui in ipsis rebus fixi sunt, quorum

argumenta uel à ſubiecto, uel à prædicato, plerunque tamen à prædicato quæſtionis ſumūtur. Si quidem ijs partibus, quibus propoſitio & omnis quæſtio abſoluitur, hoc eſt, ſubiecto & prædicato.

Loci externi, qui extra res dicuntur, quorum argumenta à neutro iſtorum petuntur, ſed extrinſecus adſciſcuntur, Oſtē datur exemplo, propoſita quæſtione, Vtrū homo ſit animal, concludatúrque affirmatiué. Probo à ſubiecto, quia ratiocinatur: à prædicato, quia ſentit. Ecce locum internum, qui dicitur differentia. Quia uerò conſul, profeſſor, &c. Ecce locū externum, qui dicitur ad aliquid. Loci autem interni ſubdiuiduntur item in locos in ſubſtantia, & concomitantes ſubſtantiam.

In ſubſtantia loci ſunt, è quibus res idipſum quod ſunt, accipiunt: cuiuſmodi ſunt, Definitio, Diuiſio, Etymologia, Genus, Species, Differentia, Proprium, Totum, Partes, Coniugata.

Loci uerò qui concomitantur ſubſtantiam, ſunt, qui ſingularibus ſubſtantijs adhæreſcunt: ut, communiter hærentia, uſus ſubiecta.

Loci externi ſunt, Cauſa, hoc eſt, Efficiens, Materia, Forma: Finis, Effecta, Generatio, Corruptio, Autoritas, Simile, Comparata: hoc eſt, Par, Maius, Minus, Tranſſumptio, Repugnantia, Diſparata, ſeu differentia.

Philippus autem Melanchthon conſulens breuitati, paritérque difficultati, breuiſsimam tradit loci diuiſionem hanc, quam nos quoque imitati ſumus.

Locorum alij ſunt rerum, alij perſonarum. Rerū loci quatuor habēt ſedes, ſeu capita, quæ eſt definitio, diuiſio, cauſæ pugnātia, Ratio diuiſionis eſt: Quia membra propoſitionis, uel quæſtionis ſunt, uel perſonæ, uel res. Ideo loci alij ſunt perſonarum, alij rerum. Et dicuntur loci perſonarum, quia tum his

demũ utimur, cum in propositiones persona aliqua inseritur, & personæ aliquid attribuitur.

Hinc locos personarum, Cicero uocat attributa personarum. Sic enim inquit: His locis argumentatio fit, ex eo quod aut personis, aut negotijs est attributum.

Exempli gratia, sit hoc Thema, Cæsar non est iure interfectus. proferatur argumentum: Subiectum, persona, præbebebit materiam propositionis. Nam sumendum est argumentum à genere uitæ.

Magistratus erat,
Ergo non iure interfectus.

nõ enim licet priuatis personis, interficere magistratum. Vbi igitur nulla est persona in quæstione, ibi neque utimur locis personalibus: ut in hac propositione, Obedientia est omnis fœlicitatis mater.

DE LOCIS PERSONARVM.

Loci personarum sunt,

Patria,	Sexus,
Parentes,	Aetas,
Educatio,	Disciplina uel institutio,
Studia,	Sodalitia,
Mores, seu ingenium.	Res gestæ.
Genus, seu conditio uitæ.	

A locis itaque personarum in hunc modum sumuntur argumenta.

A patria, argumenta.

Germanus est, Igitur integer est.
Testes Græci sunt, Igitur leues & mendaces.

A sexu.

Vir est, Igitur aptior ad bellum.
Mulier est, Igitur non debet loqui in cœtu.

A par

A parentibus siue à natalibus.

Filius meus es, ergo imitare uirtutes parentum.

Carolus Cæsar uir cordatus, Igitur & filius cordatus erit.

Ab ætate.

Puer est, Ergo non potest prudenter agere.
Senex est, Ergo ad rem attentior est.

Ab educatione.

Delicatè educatus est Vlysses, Igitur Aiacem occidit.

Vlysses obstetricem habuit furiosam: Igitur non mirum est, si & ipse furiosus fuit.

A disciplina.

Ille doctus est, Ergo doctum habuit præceptorem.

Monachi indocti sunt, Ergo indoctos habuerunt præceptores.

A studijs.

Studia sunt, ad quæ natura quisque est propensus: ut, Philosophus est, Igitur non potest odisse amatores Philosophiæ.

Sutor curat corium, Igitur non curat liberalia studia.

A sodalitijs.

Semper uixit cum heluonibus Artophylax:
Igitur quid noui accidit, si & ipse heluo est factus?

A moribus, seu ingenio.

Hic locus spectat ad naturalem indolem.
Mali mores sunt indicia praui animi,
Ergo ille malorum morum est.
Suaues mores, & mites, bonæ mentis significatio est:
Ergo, ille bonorum morum est.

A rebus gestis.

Res gestæ, uel turpes, uel honestæ sunt,

Cæsar

Cæsar nullum amisit bellum,
Igitur & Gallum uincet.
Andreas de Doria semper feliciter pugnauit,
Igitur & Turcicum bellum ei committendum.

A vitæ genere.

Episcopus est, Doceat igitur.
Scholasticus est, Ergo, Det operam literis.

A morte.

Ad mortem pertinent, quæ circa mortem, in morte, & post mortem, contingunt: ut,
Enoch & Helias sublati sunt uiui in cælum,
Quare beati sunt facti.
Latro in cruce consecutus est ueniam peccatorum,
Ergo latro ille beatus est.

Plures loci personarum colligi possunt, à circunstantijs, seu accidentibus, quæ cadunt in personas. sed hi commodè ad superiorem referri possunt: ut Virtus, Fortuna, Affectus, Cognatio, Victus, Animi natura, Nomen, Habitus, Generatio, Corruptio.

DE LOCIS RERVM.

Absolutis locis personarum, & locos rerum absoluamus necessum est. Dicuntur autem loci rerum, omnes qui non sunt personarum, quorum argumenta à rebus ipsis ducuntur, non à persona. Sunt autem hi:

Partes { Definitio. / Genus. / Differentia. / Proprium. / Etymologia. }

Coniu

Causæ quatuor.
- Coniugata.
- Efficiens.
- Formalis.
- Materialis.
- Finalis.
- Effectualis.

Antecedentia & Consequentia.
Totum & partes.
Similitudo.
Par.
Maius,& Minus.
Opposita.
Contraria ex qualitate.
Contraria ex relatione.
Contraria propositionum.
Diuersa,seu Disparata.
Exemplum.
Authoritas.
Signum.

Hi præcipui sunt loci rerum,qui usu & lectione bonorum authorum facilius discuntur,quàm præceptis:quæ nihil sunt, nisi legendo & scribendo confirmentur. Nam Dialecticam discere uelle ex præceptis,perinde est,ac si quis uelit discere picturam spectando,aut Musicam audiendo. Argumenta itaque à rebus sic deducuntur.

A Definitione.

Locus à definitione primus est ideo, quia inde ducuntur omnia quæ necessaria sunt & firma.uel,quia in simplici themate præcipua quæstio est,finitio.

Duplicia autem sumuntur argumenta à definitione,negatiua & affirmatiua.Idque cùm à finitione ad finitum, tum à finito

finito ad finitionem, quia simul conuertuntur.

EXEMPLA AFFIRMATIVA.

Maxima.

Cui definitio conuenit, ei conuenit & definitum: ut,
Populus Dei sunt, qui credunt in Christum,
Gentes credunt in Christum,
Ergo gentes sunt populus Dei.

Credere in Christum, est definitio: populus Dei, Definitum. Gentibus conuenit definitio, ergo & eius definitum conuenit. Argumentum itaque à definitione ad definitum est, quando medium est definitio.

NEGATIVA.

Maxima.

Cui adimitur definitio, eidem adimitur & definitum: & econtrá. ut,
Nihil contemnendum est, quod ducit ad Christum.
Lex ducit ad Christum: est enim pædagogus ad Christum usque.
Ergo, lex non est contemnēnda.
Item, Pharisæi non credunt in Christum,
Ergo non sunt populus Dei.

A DEFINITO AD DEFINItionem affirmatiué.

Maxima.

Cui conuenit definitum, eidem & definitio conuenit.
Christianus, sacerdos est,
Igitur offerre debet.

Quæ uerò sint Christianis sacrificia, Paulus docet 12. ad Ro.
Item: Christianus, rex est in spirituali regno Christi, Igitur dominari debet super peccatum, mortem, diabolum mundum, &

dum,& infernum.

A DEFINITO NEGATIVE.

Maxima, siue regula.

Cui adimitur definitum, eidem & definitio adimitur:ut,

Simia non est homo: Ergo,

Non est animal rationale.

A partibus definitionis.

Quæ sunt: Genus, Differentia, Proprium.

A GENERE NEGATIVE *tantum.*

Maxima.

Cui adimitur genus, eidem & species adimitur:ut,

Euangelium non tollit ordinationes politicas:

Tenere proprium, est ordinatio politica: Ergo,

Euangelium non tollit proprietates possessionum: id est, non prohibet tenere proprium.

Item, animal non est,

Igitur non est homo.

Sic à genere ad speciem tantum negatiuè argumentamur.

Præterea à toto genere affirmatiuè argumentamur, appositis signis uniuersalibus.

Maxima.

Posito genere cum particula uniuersali, ponitur & species:ut,

Omnis uirtus inclinat ad rectè agendum,

Ergo iustitia inclinat ad rectè agendum.

Item,

Omnes ordinationes ciuiles sunt licitæ.

Ergo contendere iudicio est licitum,

Contende

Contendere iudicio, est species. Ordinatio ciuilis, est genus.

A SPECIE.

A specie argumentamur ad genus affirmatiuè tantum:ut,

Pyrus in se uitam habet, Ergo & arbor.

Item, Pueri habent peccatum originis,

Ergo habent peccatum.

Maxima.

Cui tribuitur species, eidem & genus tribuitur.

Negatiuè non ualet,

Pueri non habent peccatum actuale: Ergo

Pueri non habent peccatum.

A DIFFERENTIA & proprio.

A differentia ad speciem, & uicißim à specie ad differentiam, tum affirmatiuè, tum negatiuè ducuntur argumenta.

Maxima siue regula affirmatiua.

Propria differentia semper cum specie conuertitur. Vel, cui tribuitur propria differentia, ei quoque tribuitur id cuius est differentia: id est, species. & contrá.

Et negatiué. Maxima.

Cui adimitur differentia propria, ei & species adimitur, & econtrà, modis quatuor: hoc modò,

Habet mentem, Ergo, Est homo.

Non habet mentem, Ergo, Non est homo.

Homo est, Ergo, Habet mentem.

Non est homo, Ergo, Non habet mentem.

DE PROPRIO.

Maxima.

Proprium cum sua specie conuertitur. Hoc uerum est si fuerit proprium quarto modo. Et à proprio eodem modo argumenta ducuntur, quo à differentia, in hunc modum:

Homo est, Ergo, Ad uirtutem assuefieri potest.

Item,

Non potest ad uirtutem assuefieri: Ergo, Non est homo.

AB ETYMOLOGIA.

Affirmatiua, Maxima.

Cui conuenit nomen, ei & interpretatio ipsius conuenit: quia Etymologiæ argumentum est, quod nascitur ex interpretatione uocabuli: ut,

Christus uocatur Emanuel, Ergo est nobiscum Deus.

Benefacit aliis, Ergo, Beneficus est.

A CONIVGATIS.

Maxima.

Cui conuenit unum coniugatorum, ei & alterum conuenit:

Ager est compascuus, Ergo ius est compascere.

Sapienter agit, Igitur sapiens est.

Coniugata, sunt uoces, quæ ab una origine cadunt: ut, à compascuus compascere, à sapientia sapiens & sapienter.

A CAVSIS.

Et primum ab efficiente, à qua duo cadunt argumenta, affirmatiua & negatiua.

Maxima affirmatiua.

Posita causa sufficienti in actu, ponitur proprius eius effectus: ut,

Abraham credit, Ergo est iustus.

Christus resurrexit, Ergo & nos resurgemus.

Maxima

Maxima negatiua.

Remota causa, remouetur & effectus: ut,
Pharao repugnauit Deo,
Ergo Pharao non credidit Deo.

AB EFFECTV AD CAUSAM EFFICIENTEM.

sam efficientem.

Maxima.

Posito proprio effectu, ponitur & propria causa, uel esse, uel fuisse: ut,
Dies est, Ergo Sol ortus est.
Gladius est, Igitur ferrum est.

A CAVSA MATERIALI

& affirmatiuè & negatiuè argumentamur, ad esse, & posse.

Maxima affirmatiua.

Posita materia, ponitur & effectus, actu, uel potentia.

Exemplum ad esse.

Corpus humanum constat ex elementis,
Ergo est corruptibile.

Exemplum ad posse.

Ligna sunt arida, Ergo
Facile inflammari possunt.

Maxima negatiua.

Non posita materia, nec effectus ponitur: ut,
Materia non est idonea,
Ergo non potest fieri effectus bonus.

A FORMALI CAVSA,

Affirmatiuè, & negatiuè.

Maxima affirmatiua.

Posita forma substantiali, res ipsa ponitur: ut,
Rotundum est uas, Igitur uolubile.

Tunica est pannus, Igitur indui debet.

Embryon habet animam, Ergo est homo.

A forma plerunque argumentamur, cum res commendamus ab arte, qua factæ sunt: uel ab externa specie. Est enim forma illud ipsum, quod regit materiam.

Maxima negatiua.

Non posita causa formali, neque effectus ponitur: ut,

Anima excessit à copore, Ergo,

Corpus illud iam non est homo.

A CAVSA FINALI

seu ab effectibus.

Finis est consilium & intentio agentis de usu rei, qua efficiens mouetur ad agendum.

Maxima.

Cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est: & contrà, Cuius finis malus est, & ipsum quoque malum est: ut,

Virtus honesta est, Igitur expetenda est.

Si pax est bona, Ergo bellum inutile.

AB ANTECEDENTIBVS

& consequentibus.

Ab antecedentibus negatiuè ualet argumentum.

Maxima.

Negato antecedente, negatur & consequens: ut,

Hîc non est morbus, Ergo non est opus medico.

Ager non est consitus, Ergo non fructificabit.

Affirmatiuè uerò, ab antecedente non ualet argumentum, nisi membra necessariò cohæreant: ut; in definitione, & causa propria.

Exemplum à definitione.

Christus est sacerdos perpetuus, Ergo perpetuò interpellat pro Ecclesia apud Deum.

Exemp

Exemplum de causa propria.

Christus resurrexit, Ergo & nos resurgemus.

Nam Christi resurrectio est causa nostræ resurrectionis.

A consequentibus affirmatiué.

Posito consequente, ponitur & antecedens: ut,

Leprosus adorat & inuocat Christum:

Igitur prius credidit.

A TOTO AD PARTES.

Maxima.

Posito toto, necesse est poni & partes, quæ sunt necessariæ, eas ritè sequitur totum: ut,

Docet pœnitentiam, & remißionem peccatorum,

Igitur & Euangelium docet.

Agit de iustitia, prudentia, &c. Igitur de uirtute agit.

A SIMILIBVS, SIVE comparatis.

Similia conferuntur trifariam, aut paria cum paribus, aut maius cum minore, aut minus cum maiori. Et uocantur comparata.

A PARI.

A parib. affirmatiuè & negatiuè argumentamur.

Maxima.

Quod in uno similium ualet, ualebit etiam in alio, & econtrá.

Affirmatiué.

Si à Deo maledictus est, qui patrem contempsit:

Ergo & maledictus est, qui matrem contemnit.

Negatiué.

Vt corpus sine mente, sic ciuitas sine legibus, suis partibus uti non potest. hoc modo ducitur argumentum.

Corpus sine mente non potest uti membris suis,
Ergo ciuitas sine legibus, non potest uti suis partibus.

A MAIORI AD MINVS.

Negatiué.

Maxima.

Quod à maiori non ualet, nec à minori ualebit. Vel sic: Si id quod magis inesse uidetur, non inest, nec inerit & illud quod minus inesse uidetur: ut,

Si lex diuina non iustificat, Ergo nec humanæ traditiones iustificant.

A MINORE AD MAIVS.

Affirmatiué.

Maxima.

Quod in minori ualet, ualeat & in maiori: ut,

Discipulus intelligit hoc, Ergo & præceptor.

Licet bouem sabbato sanare, Ergo licet & hominem sabbato curare.

DE OPPOSITIS, SIVE *repugnantibus.*

Ex quo opposita uaria esse constat. quid igitur oppositio, quæ eius species, quid quoque repugnantia & differentia sint, ne ex ignotis procedere uideamur, paucis aperiamus.

Opposita sunt, quorum alterũ ita repugnat alteri, ut neq; alterum de altero, neque ambo de tertio dici poßint: ut, sapientia & stultitia, calidum & frigidum.

Repugnantia, est rerum per se dißidens habitudo: qua fit, ut alterum dici, id est esse, quod alterum, non poßit. ut, scientia & ignorantia.

Differentia uerò, siue disparata sunt, cum uni repugnant plura: ut, homo & asinus.

Species autem oppositorum sunt quatuor, scilicet, Con-

traria, Relatiua, Priuatiua, & contradicentia.

Contraria ſunt, quorum utrunque poteſt ſimul exiſtere, & alterum ſine altero eſſe: ut calidum & frigidum. Sunt autem contraria, duæ qualitates pugnantes: ut, ſanum, ægrum: humidum, ſiccum: rarum, denſum: durum, molle, &c.

Relatiua ſunt, quæ id ipſum quod ſunt, aliorum ſunt: ut, pater, filius: dominus ſeruus.

Priuatiua autem ſunt, ubi alterum deficit alicui rei, in eo quod natum eſt habere: ut uiſus & cæcitas. Et ideo cæcitas non eſt in lapide, quia non eſt ita conditus ut uideat.

Contradicentia ſiue contradictoria ſunt, duæ propoſitiones, negatiua & affirmatiua: ut, Plato eſt homo, Plato non eſt homo.

Contraria præterea ſunt duplicia, mediata & immediata.

Mediata ſunt, inter quæ cadit aliqua forma media. ut, inter nigrum & album, cadunt colores medij: ut, flauus, uiridis. &c.

Immediata autem contraria ſunt, inter quæ non cadit aliqua forma media: ut, ſanum ægrum: humidum ſiccum.

A CONTRARIIS TAM MEDIATIS, QUÀM IMMEDIATIS, AFFIRMATIUÈ ARGUMENTAMUR.

Maxima.

Poſito uno contrariorum, remouetur alterum, & non contrá.

Exemplum de mediatis.

Corpus calidum eſt, Ergo non friget.
Nix eſt candida, Ergo non eſt nigra.

Exemplum de immediatis.

Ioannes est sanus, Ergo non est ægrotus.

Iustitia est uirtus, Ergo non est uitium.

Item, in contrariis destructiuè etiam ualet argumentum.

Maxima.

In contrariis immediatis negato uno, ponitur alterum, & contrà: ut,

Non est sanus, Ergo est ægrotus.

Qui non est mecum, contra me est.

A RELATIVE OPPOSITO.

Relatiuè opposita respectu eiusdem subiecti, affirmatiuè tantum ualent.

Maxima.

Vno subiecto posito uni relatiuorum, remouetur alterum: ut,

Pater est, Igitur non est filius.

Discipulus est, Ergo non est præceptor.

Relatiua autem diuersorum subiectorum, affirmatiuè & negatiuè ualent.

Maxima.

Relatiua posita se ponunt, & perempta se perimunt. Hoc est, Relatiuum & correlatiuum natura simul existunt. Ideo posito uno, ponitur alterum: & negato uno, negatur & alterum: ut,

Simo est dominus, Ergo habet seruum.

Non est dominus, Ergo non habet seruum.

A PRIVATIVE OPPOSITIS affirmatiuè & negatiuè argumentamur.

Maxima.

Posita priuatione, remouetur habitus, & econtrá. Nam priuatio significat deesse aliquid, quod adesse poßit: ut,

Cæcus

Cæcus est, Ergo non uidet.

Inops est, Ergo non est diues.

Lux est, Ergo non sunt tenebræ.

A CONTRADICTORIE, *oppositis.*

Argumentamur affirmatiuè & negatiuè. Et talis contradictio simpliciter est in propositionibus.

Maxima.

Perpetua lex est contradictoriarum: Si una est uera, altera erit falsa, & econtra: ut,

Cœlum mouetur, Igitur non stat.

Petrus uiuit, Igitur non est mortuus.

A DIVERSIS, DISPARA*tis, siue differentibus.*

Disparata sunt, ut docet Rodolphus, diuersæ species & genera, quæ à se inuicem uniuersaliter negantur: ut,

Nullus homo est lapis,

Ergo nullus lapis est homo.

Valet itaque argumentatio à disparatis affirmatiuè tantum.

Maxima.

Posito uno disparatorum, tollitur alterum: ut,

Germanus est, Igitur non est Gallus.

Homo est, Igitur non est uacca.

AB EXEMPLO, SIVE A *similibus.*

Exemplum est probatio alicuius rei per similia, quæ nobis imitanda proponitur. Dicitur enim illud, quod in oratione adhibetur, rei aut probandæ, aut ornandæ.

Definitur itaque exemplum, quod sit alicuius facti aut dicti propositio, cum certi authoris nomine. Vel particulare

propositum, particulare quoddā contendens ostendere. Quod à simili parum aut nihil distat.

Maxima.

Quod in uno similium aut exemplorum ualet, ualeat quoque in alio, & econtrario: ut,

Oportet à M. Tullio Consule necari Catilinam, cum à Scipione Gracchus fuerit interemptus.

Item, Solon profuit Reipub. Vlpianus Alexandro Seuero profuit in administratione Reipub.

Ergo philosophia utilis est Reipu. quam non tam principes gubernant, quàm philosophi, quibus principes utuntur consiliarijs.

AB AVTHORITATE.

Vocatur & hic locus à pronunciatis Sunt enim pronunciata, quæ quisque de re aliqua, ut aliquid aut affirmaret, aut negaret, elocutus est.

Hoc autem argumentum ab authoritate humana, ualet affirmatiuè, negatiuè non item.

Maxima.

Cuilibet experto in sua arte credendum est: ut,

Cicero dixit eloquentiam sine sapientia esse non posse, Ergo uerum est.

Plato dixit Animas immortales esse, Ergo ita est.

Negatiuè non ualet argumentatio: ut,

Cicero in officijs tātum quatuor uirtutes numerat, Ergo non plures sunt.

A SIGNIS.

Hic locus à signis, apud Rhetores à coniecturis, uel à communiter accidentibus, uulgo dicitur. Sunt autem signa, notæ, quæ sensu deprehenduntur: aut necessaria, aut probabilia.

Maxima.

Maxima.

Posito signo necessario, uel probabili, necesse est signatum poni: ut,

Terra efficit umbram rotundam, in Ecclipsi lunae:

Ergo terra est rotundae figurae.

Latum pectus habet, Ergo est fortis.

Rubescit, igitur reus est.

Effuse ridet, Ergo stultus est.

CONCLVSIO.

Tantum uolui breuissime dixisse de hisce locis Dialecticis. de reliquis studiosus lector consulat Aristotelem, omnium philosophorum principem: Rodolphum Agricolam, Georgium Vallam, Philippum Melanchthonem, Iodocum Vuillichium Resellianum, & reliquos in hac re nauiter scribentes uiros clarissimos.

Sequitur liber Octauus de syllogismo Sophistico seu de confutatione, siue diluitione argumentorum apparentium.

DE SOPHISTICIS ELENCHIS, SIVE FALlacijs, Dialecticae traditionis,

LIBER VIII.

ENARRATIS *priori libro locis Dialecticis, superest modò, ut & locos sophisticos, causásque apparentiae, & uarios fucos, & praestigiarum modos sophisticarum argumentationum & sophismatum, hoc est, cauillationum tricas, argutias, captionésque fallaciarum, quibus apparentijs seu impo*

imposturis fascinantur, fraudantúrque persæpè incauti adolescentes, explicemus, ne inter loquendum aut disputandum decipiantur, falsum sub ueri specie apparenter intelligentes, quibus etiam docti Dialectici inopinatò non rarò reprehenduntur. Ideóque rem paucis aggrediamur necessum est, & primùm quidem hoc pacto.

Quid sit locus Sophisticus, quomodo diuidantur loci sophistici, quid sophistica argumentatio, definiemus. Subinde, quid sit fallacia, & quibus nominibus appelletur, & cur ab Aristotele traditæ sint fallaciæ: tandem, quomodo argumenta sophistica dijudicanda & soluenda sint: demum, qui sint modi seu genera sophisticorum argumentorum, siue fallaciarum, propagabimus, quodlibet ordine suo, & primò,

Quid est locus sophisticus?

Est sedes argumenti sophistici.

Loci autem Sophistici diuiduntur in fallacias, seu locos, in dictione, & extra dictionem positos: quod paulo pòst indicabimus.

Quid est sophistica argumentatio?

Est, quæ fit ex his quæ uidentur quidem probabilia, sed nõ sunt: hoc est, cum pro causa usurpatur falsum aliquod, aut ambiguum, aut absurdum: aut in forma argumenti uitium est, cõtra regulas, suprà in forma argumentandi traditas.

Causa hoc loco significat medium scilicet quod connectit prædicatum conclusionis cum subiecto.

Quid est fallacia, tum quibus nominibus nominatur?

Fallacia est cauillatio, uel uitiosum argumentum, quo incircunspectus specie recti & apparentiæ decipitur.

Nominantur autem uarijs nominibus fallaciæ ipsæ. Modò uocantur Paralogismi, & sunt subdolæ argumentationes,

ut est in numeris falsa supputatio, quæ tamen à specie ueritatis non est aliena. Modò dicuntur sophismata, fraudes & commenta ex composito ordinata. Est enim σοφίζειν, dolosè suis commentis circumuenire. Inde sophistæ dicti calumniatores, & planè qui ultrò & uolētes calumniam struunt & cauillantur. Modò dicuntur Elenchi, id est, redargutiones, quibus in iudicijs aduersarios conuincimus, cum sit uocabulum iudiciale. His Elenchis cauillatorum fraudes & doli redarguuntur, & patefiunt. Modò imposturæ & præstigiæ uocantur, quòd imponant alicui, quæ prima fronte uerißima esse apparent, sed in recessu falsißima esse experimur.

Sunt itaque ferè idem, Syllogismus sophisticus, Paralogismus, syllogismus litigiosus, & falsigraphus. Et tradidit Aristoteles fallacias, ceu aliquas argumentorum formas, quæ occurrunt in argumentis, ut errata agnoscere facilius & refellere poßimus. Et ideo uocantur confutationes, quæ sunt uiæ iudicandi falsa argumenta.

Quomodo sophistica argumenta dijudicanda & soluenda sunt?

In omni sophistica argumentatione primò intuenda est consequentia, seu forma argumenti. deinde materia, seu res ipsæ considerandæ sunt. Si in forma uitium est, argumentum refutatur negatione consequentiæ. Porrò uitium in forma ostendunt regulæ, de formis argumentorum traditæ. Nam forma, est ipsa consequentia.

Si modò in materia uitium est, tunc soluitur argumētum aut negatione, aut distinctione. Falsa nanque reijciuntur negatione: ut cum aut definitio falsa, aut diuisio uitiosa adhibetur, aut causa impropria usurpatur, uel signum infirmum, aut opposita non aptè conferuntur. Ambigua soluuntur distinguendo, iuxta illud: Qui bene distinguit, bene soluit. Aut

argu

argumentum ſoluitur per inſtantiam: ut cum opponitur abſurdum aliquid, aut inconueniens.

DE MODIS SOPHISTICOrum argumentorum, quos recentiores uocant Fallacias.

Loci itaque ſophiſtici diuiduntur, in locos in dictione, & extra dictionem poſitos: ex quibus Ariſtoteles duo facit fallaciarum genera, ſcilicet fallacias in dictione, & extrà, quod in idem redit.

Fallacia in dictione,

Eſt, quando uitium oritur ex genere ſermonis. huiuſmodi ſunt ſex,

Aequiuocatio,	Amphibologia,
Compoſitio,	Diuiſio,
Accentus,	Figura dictionis.

Fallacia extra dictionem,

Eſt, quando res ipſæ malè cohærent. Et huiuſmodi ſunt ſeptem:

Fallacia accidentis,
A dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter.
A non cauſa, ut cauſa.
Fallacia conſequentis.
Petitio principij.
Plures interrogationes.
Ignoratio Elenchi.

Principio igitur fallacias in dictione enarrabimus hoc modo.

Aequi

Aequiuocatio,

Est, cum dictio seu simplex uox plura significat, cum nomen est commune multis, res quidem diuersa. ut hoc nomen Gallus, significat gentem & auem: & est nomen proprium: & ideo committitur fallacia æquiuocationis, cum error est in aliqua uoce ambigua, & soluitur distinguendo.

Exemplum.

Quicquid bibit, habet os:
Pratum bibit, Igitur pratum habet os.
Omnis Christianus est liber,
Seruus Petri est Christianus, Ergo
Seruus est liber.

Hic quis fallitur in uocabulis, quæ sunt, bibere, & liber.

Omnes gemmæ sunt preciosi lapilli.
Atqui sunt in uitibus gemmæ, Igitur
Sunt in uitibus preciosi lapilli.

Hîc gemma æquiuocum est, ad lapidem, & palmas.

Amphibologia,

Est, cum oratio ambiguam sententiam in se claudit. Igitur fallacia Amphibologiæ est, cum in oratione constructio, aut phrasis, parit errorem. Est enim dictum dubium, quod structuræ fit uitio, quia utrouersum referendum sit, dubitatur: ut,

Aio te Aeacida Romanos uincere posse: Ergo,
Pyrrhus uincet Romanos.

Hîc constructio ambigua parit errorem: hoc est,

Pyrrhus uincet Romanos, Vel,
Romani uincent Pyrrhum. Item,
Cuiuslibet Christiani est facere iudicium,
Ergo, Quilibet Christianus est iudex.

Hîc decipit dialectos Hebraica, cum facere iudicium, sit, seip

ſeipſum condemnare, & non pro tribunali res forenſes tractare.

Item,

Zoilus iniuſtè criminatur, Ergo iure de rupe proijciendus eſt.

Hic (criminatur) inſidias ſtruit aduerſario. Nam nemo pro certo habet, ipſéne ab alio, an ipſe alium criminetur.

Differt autem Amphibologia, ab Aequiuocatione. nam Aequiuocatio ex ipſo nomine, diuerſas res ſignificante, dolos ſtruit: Amphibologia uerò, ex oratione technas meditatur.

COMPOSITIO.

Fallacia compoſitionis eſt, cum malè coniunguntur ea quæ debebant diuelli. Et ergo hæc fallacia committitur, cum à ſenſu diuiſo uero, argumentamur ad ſenſum compoſitum falſum, in hunc modum:

Duo & tria ſunt paria & imparia,
Quinque ſunt duo & tria, Ergo
Quinque ſunt paria & imparia.

Maior eſt uera in ſenſu diuiſio, falſa autem in ſenſu compoſito.

Quicunque ſcit literas, nunc didicit illas:
Grammaticæ peritus ſcit literas,
Igitur nunc didicit illas.

Eſt fallacia diuiſionis, & peccatum eſt in compoſitione.

DIVISIO.

Cum diuelluntur ea quæ coniungi debent. Fit ergo fallacia diuiſionis, cùm à ſenſu compoſito uero, itur ad ſenſum diuiſum falſum, hoc modo:

Quocunque uidiſti hunc percuſſum, percuſſus eſt:
Atqui oculo uidiſti hunc percuſſum, Ergo

Oculo

Oculo percuſſus eſt.
Peccatum eſt in diuiſione.

ACCENTVS.

Eſt, cum dictum alio geſtu pronunciatum, aliud ſignificat: ut,

Omne malum eſt fugiendum,
Pomum eſt malum, Ergo pomum eſt fugiendum.

Item, Qui ad aram fugit, liber eſt.
Ad haram fugiſti, Ergo liber es.

Fallacia eſt in malo prima breui, & prima longa: In ara aſpirata, & ſine aſpiratione.

FIGVRA DICTIONIS.

Fallacia figuræ dictionis eſt, cum aliquid uitioſe colligitur ex phraſi, & eſt figura orationis malè intellecta, quando ſcilicet ſimilitudine uocum circumſcribitur. ut,

Diſcere eſt, circa diſciplinam exerceri:
Exercere circa diſciplinam, eſt docere: Ergo,
Diſcere eſt docere.

In exerceri & exercere, fallacia eſt.

Quicquid heri emiſti, hodie comediſti.
Crudum heri emiſti: Ergo, Crudum comediſti.

Fallacia eſt in quicquid & crudum. Nam in maiore, quicquid, eſſentiam ſignificat: in minore, crudum, qualitatem indicat. Item,

Omne animal fuit in archa Noe,
Cato aſt animal, Ergo, Cato fuit in archa Noe.

In maiori eſt Synechdoche: Quia omne animal, pro omni ſpecie accipitur.

Fit quoque hæc fallacia, aut ſimilitudine uocis, aut phraſeos: ut in Euangelio eſt, Non exibit donec ultimum quadrantem ſoluerit: Ergo nullus niſi ubi ſoluerit ultimum quadran-

tem non exibit. Aduerbium Donec,*more* Hebr*aico,non conditionem,ſed perpetuum, non tantum hîc, ſed in multis locis, ſignificat. quare imperiti linguarum facilè falluntur.* Sic Matth. 1. de Ioſeph *ſcribitur,quod non cognouerit* Mariam, *donec peperiſſet filium ſuum primogenitum : ubi non ſequitur,*Ioſeph *poſthac unquam* Mariam *cognouiſſe, cuius uirginitatem perpetuam in* Deo,*& credimus & ueneramur.*

DE FALLACIIS, SEV LOCIS *extra dictionem,quorum ſunt ſeptem.*

Accidens.

Hoc loco Accidens *eſt, quando idem aßignatur ſubiecto, ſiue eſſentiæ. & ideo fallacia accidentis eſt, cum accidens aliter tribuitur ſubiecto, quàm oportebat : uni enim multa accidunt, ſed dißimili ratione.* Item, *cum cauſa per accidens pro propria citatur : ut,*

Quod ego *ſum,tu non es:*
Ego *ſum homo,* Ergo *tu non es homo.*

In *prima eſt predicatio accidentalis :* In *ſecunda eſſentialis.* Item,

Homo *eſt animal,*Animal *eſt genus,* Igitur *homo eſt genus.*

Item, David *eſt beatus,*David *fuit adulter,* Ergo *adulteri ſunt beati.*

Hic *accidens malè accommodatur : quia* Dauid *beatus eſt,non quia adulter fuit,ſed quia reſipuit.*

A dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter.

Fallacia *à dicto ſecundum quid,ad dictum ſimpliciter,eſt, cum à parte totum,uel à particulari uniuerſale uicioſe colligitur,uel cum ex ſigno fit res ipſa.* Dictum *autem ſecundum quid,eſt, cum nomen commune per circunſtantiam aliquam*

circumscribitur, & contrahitur ad speciem, uel partem: ut, Homo pictus. Homo, est nomen commune: hic per circunstantiam circunscribitur ad certam speciem, scilicet pictus.

Dictum uerò simpliciter, est nomen commune, sine circunscriptione usurpatum: ut homo est dictum simpliciter: Albus autem dentibus, est dictum secundum quid: ut,

Aethiops est albus dentibus. Ergo Aethiops est albus.
Hic est homo pictus, Ergo est homo.

In antecedente est dictum secundum quid, in consequente est dictum simpliciter.

Beati pauperes spiritu,
Ergo pauperes sunt beati.

Hi sunt pauperes spiritu, qui non fidunt diuitijs, qui habent tanquam non habeant.

A non causa ad causam.

Hæc fallacia committtitur, cum causa fit, ex non causa impropria, & aliena colligitur argumentatio: ut,

Lippi oculi offenduntur à sole,
Ergo sol corrumpit oculos.
Multæ seditiones ortæ sunt ex prædicatione Euangelij,
Igitur Euangelium autor est seditionis.

CONSEQVENS.

Fallacia consequentis est, quando ex antecedente non rectè infertur consequens: ut,

Virtus est, igitur iustitia est.
Homo non est, Igitur neque animal est.

PETITIO PRINCIPII, SIVE *nugatio,*

Est ostendere ignotum per æquè ignotum, cum scilicet idem in conclusione repetitur: ut,

Ebrietas nocet, Ergo ebrietas est perniciosa.

Omnis delator est exterminãdus, Et hic est delator, Ergo omnis delator est exterminandus.

Hic peccatum est in forma.

Plures interrogationes, vt vna.

Plures interrogationes ut una, est, cum plura de uno, aut unum de pluribus, aut plura de pluribus, interrogamus, in hunc modum:

Suntne hæc bona, aut mala?

Demonstratis tam bonis, quàm malis, utrúmuis responderit aliquis redargutionem, ob falsi uidelicet concessionem, incurrit.

Hæc fallacia facilè excluditur aduertenti.

IGNORATIO ELENCHI.

Est omnis infirma & uiciosa ratiocinatio. Nam Elenchus firmam probationem significat. Est itaque ignoratio Elenchi tanquam locus communis, in quem omnes cauillationes reponendæ sunt, quæ ad superiores fallacias non apte accommodari potuerunt. Nam & Aristoteles ostendit, omnes superiores modos ad hoc caput referri posse. Speciatim uerò ad hanc fallaciam refert uiciosas oppositiones & ambiguas, uidelicet cum pugnantia non conferuntur ad idem, secundum idem, similiter, & secundum idem tempus.

Ad idem: vt,

Duo sunt duplum ad unum,
Et non sunt duplum ad tria,
Ergo, Sunt duplum, & non duplum.

Aliud.

Cato est pater illius, & non istius:
Ergo, Cato est pater, & non pater.

Quia pugnãtia non conferuntur ad idẽ, sed secundũ diuersa.

Secund

Secundum idem: ut,

Corpus est bipedale secundum longitudinem,
Et non est bipedale secundum craßitudinem:
Ergo, Est bipedale, & non bipedale.

Similiter: ut,

Princeps iustè imperat,
Et non imperat tyrannicè:
Ergo, princeps imperat, & non imperat.

Hîc pugnantia conferuntur non similiter, sed diuersimodè.

Eodem tempore: ut,

Magister interfuit disputationi, & non interfuit:
Ergo, Interfuit, & non interfuit.

Hîc pugnantia conferuntur diuersimodè: Interfuit, scilicet antemeridianæ: Non interfuit, pomeridianæ. Ergo non referuntur ad idem. Facile est diluere id genus fallaciarum, si consideratur conclusio ad contradictionem. Nam in istiusmodi Sophismatibus infertur. Contradictio apparens solum, cum reuera nulla sit. Fit enim omnis contradictio respectu eiusdem, & eodem tempore: ut, Si duo unius quidem duplum, Trium autem non duplum: Ergo idem duplum, & non duplum. Hæc Rodolphus. Philippus autem Melanchthon inquit, Hanc fallaciam rectè latinè uocari cauillationem, quæ potest referri ad fallaciam dicti secundum quid, ad dictum simpliciter. Sed de his hactenus.

AD AEQVVM LECTOREM *conclusio.*

Habes suauißime lector, Lucubratiunculas hasce Dialecticæ meas, habes Dialecticorum libellorum meorum ex penitißimis Philosophorum penetralibus breuißima collectanea, multijuga lectione à nouis excusa. Ne autem subinde la-

borum meorum amplitudine te obtundam, aut quippiam molestiæ citra fastidium & laßitudinem pariam, canam nunc receptui, & instar nautici gubernatoris portum petens, quieti consulturus, uela colligam, remósque cohibebo: Deóque *optimo maximo, pro donis nobis gratuitò collatis, ut semper, ita & nunc, gratiam habituri sumus perpetuam.* Amen.

Octo Dialecticæ traditionis librorum Finis.

PHILOSOPHIAE NATVRALIS IN PHYSICAM ARISTOTELIS EPITOME,

CVIVS HÆC EST FACIES.

*

Physicorum libri	*VIII.*
De Cœlo	*IIII.*
De generatione	*II.*
Meteororum	*IIII.*
De Anima	*III.*

HIERONYMO VVILdenbergio Aurimontano autore.

ILLUSTRISS. SIMVL

atque clarissimis iunioribus Silesiæ Principibus & Dominis, Federico ac Georgio fratribus germanis, Legnicen. Bregen. Opolien. &c. Dominis & hæredibus.

HIER. VVILDENBERGIVS Aurimontanus S. D.

QVis non posset non probare, & summis laudibus efferre uestros præclarißimos conatus, Illustrißimi magnificiq; Principes, qui uniuersæ Silesiæ (cui à dijs immortalibus nihil magnificentius aut fœlicius accidere potuit) summa prudentia, consilio, autoritate, maximáque cum maiestate, honore atque impensis uestris non immodicis, publicæ utilitate perspecta bonarum literarum studio Goltbergæ dignati estis egregiè consulere. Nam si respublica Christiana, huius præsertim temporis iniquitate à scopo suo non parum delapsa, instaurari debeat, iuuentute ipsa ordiatur necessum est: quando hæc non modo bonis artibus, uerumetiam cultißimis moribus ac in primis pietate seduló erudienda uenit, ut ex bonis adolescentibus meliores ciues, ex melioribus ciuibus optimi Christianæ Reipubl. euadant rectores: quod non nisi literaria suppellectile, & ingenij cultu, rectißimè fieri certum est. quem cultum quidem antiquißimi Philosophi tanti fecere, ut contemptis omnibus & publicis & priuatis actionibus, exstimarint longè melius multóque præclarius forè, diuinarum humanarúmque rerum notitiam inuestigare, quàm aut augendis opibus,

aut cumulandis honoribus operam atque industriam impendere. Hinc est quòd Alexander cum Aristotele expostulasse legitur, quòd hos de Auditu physico libros (quos Auscultatorios uocauit) in lucem edidisset, quibus ab eo eruditus fuit: existimans se nulla in re magis, quàm eruditione reliquis posse antecellere mortalibus: qua pessundata, homines sine literis obbrutescere cogerentur, & rediret ad nostrates prisca barbaries: qua fieret, ut rursus præda efficeremur omnium impostorum. Quibus incommodis uestra singulari prudentia anteuertere conantes, gymnasium omnium laudatißimum uestra liberalitate ac munificentia, in gratiam patriæ, egregijs structuris, annuentibus idem aduitentibúsque ciuibus, constituistis: in quo quotannis docti uiri, iam linguarum studijs renascentibus, ingenuas profiterentur artes. nimirum quo non solum uestrorum subditorum, sed etiam reliquarum ciuitatum, atque externorum omnium ordinum adolescentes, literis incumbere uolētes, doctißimi euadere possent. singulari perpendentes prudentia, quòd sine exacta rerum cognitione, nulla religio, nulliúsque Reipub. cultus, status, & administratio quàm diutißimè consistere queat. Quare Aristoteles non minus rectè, quàm sapienter, beatas eas esse Respublicas affirmabat, quæ à sapientibus, uel à sapientiæ studiosis administrarentur. Mihi uerò qui huius studij, uestri parentis monitu & consensu, autor, & quidem primus, extiti: uestris laudatißimis conatibus, pro uiribus & ex promisso, opem quomodocunque laturo, nunc tandem uenit in mentem, suggeßitque ultro animi impetus, ut totius Naturalis philosophiæ breuem hanc (rem adiuturus literariam) procuderem Epitomen: quo scilicet omnis conditionis adolescentes candidi, uestro iussu ac instituto, meoque tenui marte breuiter & utiliter in omni eruditionis genere redderentur doctiores. Magni en

Alias, Plato vide inf. de morali philosophia titul. Respublica fœlix quā Sapientes regūt fol. 90.

gni en

gni enim refert, in docendo tenere rerum summas, & præcipuos locos in omni arte, rerum ordine & ratione digestos, prælibasse iuuuentutem: quod aliâs ex fontibus non nisi ingenti molestia perdiscitur, quæ mihi non mediocris sanè in edendo hoc libro incubuit: quando perpauci in tanta rei difficultate extiterunt, qui huius naturalis philosophiæ instituendæ prima elementa iuuentuti fideliter præscripsissent, quibus breuitate quadam ad naturæ contemplationem perdiscendam inuitaretur felicius. Parum etiam abfuit, quin ipse in subeunda hac prouinciola, uelis contractis, consilium prorsus abiecissem. Permotus tamen illustrißimi parentis uestri Federici felicißimo conatu, eiúsque in literarum studia benigna propensione: uobis pro officio meo impense me gratificaturum existimans, in edendo hoc Commentariolo ad optatam usque coronidem constanter perrexi: quod ita excussum, uobis Humanißimis Principibus quos paterno iure tanquam dominos meos hæreditarios agnosco, nuncupatum offero, quo uestra autoritate, quantulumcunque sit, cognoscatur, eátque in publicum, ut Clarißimis magnificentißimísque uobis Heroibus agatur gratia: me uerò toti Aurimontanæ urbis ordini senatorio commendatiorem redderem: nec non eruditissimo nostro Valentino Trotschendorpio, literarij uestri domicilij præcipuo administratori & gymnasiarchæ, uiro numeris omnibus absolutißimo, iucunda & nobilis illa iuuentus gratiam esset habitura, & eam quidem immortalem: quam ego etiam clarißimis uestris institutis, bene optans iuuentuti, habeo non mediocrem, qui Reip. Christianæ (quod optimos non dedecet Principes re literaria ita consultum, prospectúmque statuistis. Pergite itaque illustrißimi Principes, & quemadmodum progenitorum uestrorum maiores pristinis temporibus ecclesias, quas uocant Collegiatas constituere, ita

& nunc eisdem, aut similibus impensis, laudatißimarum literarum studijs, magna cũ pietate uestris Rebuspublicis consulere æquum existimate. Nam ad ecclesiarum collegiatarum canonicos, gymnasiorum constituendorum, conseruandorúmque ratio iure spectat: in quorum cœtu ob id alij Præpositi, alij Scholastici, alij Cantores non abs re appellantur. Non enim, nisi ut delegatis officijs suis, in ecclesia Christianorum abundè respondeant. Quorum omnes propè eximios prouentus, olim principum liberalitate collegijs huiusmodi ideo collatos esse constat, ut pauperibus & doctis uiris, in primis uerbi Dei dispensatoribus & ecclesiæ ministris dispensentur, quibus sine, Resp. Christiana rectè gubernari nequit. Valete incliti magnificíque Principes, & me uobis commendatum iterum atque iterum habete, fortunétque Deus conatus uestros feliciter: idémque faxit florentißimæ ciuitatum uestrarum Reip. perpetuo floreant, uigeántque. Datæ Turunij. Anno à Christo nato. 1542.

HIERONYMI VVILDENBERGII AVRImontani in Aristotelis Physicam procemium.

*

Physica quid.

CVm Physica sit naturalis philosophiæ pars, illíque affinis & subiecta, quæ de natura, & naturalium corporum motu, principijs, causis, effectibus, officijs, partibus & accidentibus corporis naturalis, mobilis, existit scientia: de Philosophia, eiúsque partibus & officijs, primùm disserere operæpretium est. Est itaque Philosophia sapientiæ

Philosophiæ descriptio.

studium,

ſtudium & diuinarum humanarúmque rerum notitia, cauſarum & effectuum, atque uerborum, quibus hæ res continẽtur & explicantur, ſcientia, quatenus humana ratio poteſt aſſequi. Alij ſic definiunt: Philoſophia eſt, diuinarum humanarúmque rerum cognitio, cum ſtudio bene uiuendi coniuncta. Eámque trifariam diuidi apud uniuerſæ philoſophiæ profeſſores in comperto eſt. Quarum una partium rationalis uocatur, quæ alio nomine Logice appellatur, uerborum & orationis cognitio, eo quód uerborum ſtructuram exigit, & argumentationes: partes habens, Grammaticam, Dialecticam, & Rhetoricam. Altera naturalis, rerum naturalium & accidentium ſecundum naturam ſcientia. Nam ipſa rerum naturalium rationem contemplatur: partes habens, Mathematicam, ſub qua Arithmetica, Muſica, Geometria, & Aſtronomia: Phyſicam, quæ & phyſiologia uocatur: & Metaphyſicam. Tertia moralis, ciuilium morum priuatim & publicè notitia. ipſa enim animum componit, & mores. Conſequens igitur eſt, omnem philoſophiam in tres diuidi partes. in Phyſicam, id eſt naturalem ſcientiam: Ethicam, ſeu moralem: & Dialecticam, hoc eſt rationalem. quæ philoſophia tota, autore. Simplicio quemadmodum ars ſiue ſcientia, diuiditur in Theoricam, id eſt ſpeculatiuam, ſiue contemplatiuam: & practicam, hoc eſt exercitatiuam. Theorica rurſus diuiditur in realem, de rebus ueris: & rationalem, de rebus per rationem inuentis, & in ſolo intellectu exiſtentibus. Practica item diuiditur in Actiuam & factiuam, ut patet liquidius in typo ſubſcripto.

Philoſophiæ partes

Theoricæ finis eſt ſcire: actiuæ eſt, agere gubernationem rerum agẽdarum.

Factiua eſt recta ratio, habitúſque rerum fabricabilium.

Praxis eſt exercitatio uſúſque artis.

PAR

PARTIUM ET OFFICIORUM totius philosophiæ typus.

- Philosophia diuiditur in
  - Theoricā, quæ diuiditur in
    - Realem, quæ diuiditur in
      - Methaphisicam, de rebus incorporeis supra naturam existētibus scilicet de Deo & spiritibus tractantem.
      - Phisicam, de naturæ rebus corporeis disserentem quæ naturalis vocatur philosophia.
      - Mathematicam, de reb. à materia abstractis agentem. Cuius partes sunt, Arithmetica, quæ est numerorum disciplina. Musica, canendi ratio. Geometria, quæ est terræ mensura. Astronomia, quæ est de syderibus scientia. hæc cum scientijs rationis 7. art. quas liberales vocant constituunt.
    - Rationalē, quæ diuiditur in
      - Grammaticam recte scribendi, rectéque loquendi scientiam. Dialecticam, disserendi de qualibet re rationem. Rhetoricam, ornatè dicendi disciplinam: quæ tres, vestibula ac fores omnium scientiarum existunt.
  - Practicā, quæ diuiditur in
    - Actiuam, quæ diuiditur in
      - Ethicam, de morib. vitáque hominum tractantem. Oeconomicam, rei domesticæ gubernationem edocentem. Politicam, Reip. administrationem dirigentem.
    - Factiuam, quæ diuiditur in
      - Artes operarias, quas manuales & mechanicas vocant, quæ variæ multiplicésque existunt non septem tantum, quæ propriè non merentur partes philosophiæ dici.

TOT

TOTIVS PHILOSOPHIÆ naturalis in octo libros digestio.

Aristoteles omnis philosophicæ ueritatis numen, atque suæ ætatis facile princeps, rerum naturalium arcana descripturus, hanc philosophiæ partem, quam Phisicen uocant, in uniuersum octo libris consummatã tradit, in quibus sane omnibus de ente naturali, siue corpore mobili, quatenus est motui uel mutationi obnoxium, tanquam de eius rei materia, seu argumento, quod alij subiectum uocauere, exactißimè commentatus est. quem nos imitati, uniuersæ philosophiæ naturalis libros octo in quinque Epitomata, breuitati indulgentes, partiti sumus: in quorum Primo, scilicet Physicorum, de principijs uniuersalibus rerum naturalium, déque causis, effectibus, paßionibus seu affectionibus, proprietatibus, & accidentibus agitur secundo, de Cœlo atque mundo, & eius partibus scilicet de corpore mobili ad ubi, seu de motu locali cœli, & quatuor elementorum disseritur. Tertio de elementorum ad inuicem ad formam aliquam transmutatione: hoc est, de rerum naturalium mutua generatione & corruptione. Quarto de mixtorum imperfectorum generatione, seu meteoris, seu de his quæ in sublimibus generantur, disceptatur: ubi philosophus nominatim de corporibus perfectè mixtis, inanimis uidelicet, librum de Metallaribus siue Mineralibus adijcit, quem temporis iniuria intercidisse aiunt. Quintò de Animæ natura, partibus, uiribus, seu potentijs eiusdem, déque animæ rationalis immortalitate disputatur. Hoc loco Aristoteles librum de Animalibus uegetabilibus & plantis adnectit. Cui de rerum naturalium omißis, seu fragmentis opuscula, quæ uulgo Parua naturalia appellantur,

Physica quibus libris comprehensa: Subiectũ. Argumentum. Materia. Hypothesis.

tur,

tur, subiungit. In quibus de animæ potentijs & operationibus speciatim agitur, quæ nos hîc consultò omisimus, cum in de Anima libris generatim de eisdem egerimus. Primus itaque philosophiæ naturalis liber Physicorum Aristotelis, de Auditu physico appellatus, rursus diuiditur in octo libros particulares, quorum primo atque secundo de principijs rerum naturalium determinatur. Est autem principium hoc loco, id, unde primùm res naturalis quæque fit, aut constat, ita ut corpori naturali hoc ipsum principium insit, tanquam pars substantiæ eius, per se, & non secundum accidens. Tertio & quarto, de paßionibus, seu affectionibus earundem rerum naturalium. Quinto uerò, ac sexto, de motus diuisione in suas partes. Septimo autem & octauo de motoribus, & mobilibus tractatur, & id genus alia, de quibus omnibus fusius liquidiusq; in locis proprijs enarrabimus.

Quid octo Physic. libris agatur.

Principiũ.

Sẽper duo libri quandam affinitatem habent inter se mutuã.

Finis prologuij.

DE

DE PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM,

Physicorum

LIBER I.

IN hoc primo Physicæ tractationis libro, de principijs rerum naturalium, & de eisdem quidem ueris, ne longior sit declamatio, breuiter ac perspicuè tractabimus: seclusis falsis antiquorum opinionum improbationibus, quas Aristoteles hoc loco curiose enumerat, censet, confutat, & mille modis eliminat. quas licet hic referre non magnopere necessarium duxi, cùm ob modicam earundem utilitatem, tum ob nullam rei naturalis cognoscendæ necessitatem. attamen cum ortum sit inter superciliosos illos philosophos ingẽs dissidium, quæ ueterum naturæ interpretum fuere opiniones, breuem hunc subscriptum adiecimus catalogum.

Antiquorum philosophorũ de principijs rerum opiniones.

Nam antiqui loquentes de principijs rerum naturalium, posuerunt principium omnium rerum esse.

Immo

Aut ens

- *Vnũ & hoc dupliciter,*
  - *Immobile, & hoc dupliciter,*
    - *Finitum, sicut Parmenides.*
    - *Infinitum, sicut Melissus.*
  - *Mobile, & hoc est quæ dupliciter quia uel*
    - *Ignem* / *Aërem* / *Aquam* — *ut* Heraclitus / Diogenes / Thales Milesius.
    - *Medium inter aërem & aquam, sicut Leucippus.*
    - *Nullus posuit terram solam, propter eius craßitudinem.*
- *Plura & hoc dupliciter, quia uel posuerunt illa esse*
  - *Finita & illi posuerunt aut*
    - *Duo, sicut Plato, qui posuit magnum & paruum.*
    - *Tria, ut Aristoteles materiã, formam & priuationem.*
    - *Quatuor, ut Empedocles quatuor elementa.*
  - *Infinita, & illi posuerũt illa esse aut*
    - *Eiusdem rationis & speciei, sed differre figura positione & ordine, sicut Democritus: qui posuit infinita atomalia corpora.*
    - *Diuersarum rationum & specierum, sicut Anaxagoras, dicens omnia latuisse prius in confuso Chao.*

Sed

Sed quia quorundam prædictorum philoſophorum opiniones phyſica deſtruunt principia, ideo philoſophus ait contra illos non eſſe diſputandum. Rationem addit, quoniam dubitare an ſint principia rerum, non eſt phyſici, ſed negantis principia phyſices. quoniã ſi aliquid naturaliter fieri debeat, ex aliquo ut fiat neceſſe eſt: quando ex nihilo nihil fit, ſed omnia ex aliquo exiſtente ſiunt. Tanquam enim rem indubitatam habet phyſicus, motum tranſmutationémque naturalem eſſe, quòd uel ſenſu perſpectum eſt. Cognitum ita habet entium fore multitudinem, ut res naturales, earum partes & affectiones, quod item ſenſuali perceptioni ſatis eſt exploratum. Parmenides autem & Meliſſus cum aſſerunt eſſe tantum unum ens, negant entium multitudinem: & cum idipſum aiunt eſſe immobile, interimant motum & generationem & corruptionem neceſſum eſt. Manifeſtum eſt itaque, ipſos deſtruere principia huius diſciplinæ. Errant enim circa entia & principia, quoniam uno inconueniente dato, alia ſequuntur. Hiſce itaque opinationibus, quæ ex nugis & meris fabulis poetarum ſunt profectæ, omißis, quæ ſecundum ueritatem ſunt rerum naturalium principia, & quot numero, ex quibus principiis res naturales conſlantur, diſquiramus. Nam & ipſe Ariſtoteles rerum naturalium principia diſquirens, maluit ordiri phyſicam ſuam à ueris principiis, ſcilicet à materia, forma, & priuatione, quàm ab elementis, ut antiqui facere conati ſunt. Ea enim cum ad inuicem mutentur, & miſceantur, principia huius mutationis quærere neceſſe eſt. Oportet enim aliquid prius eſſe elementis, idque eſt materia prima phyſica, ex qua res fit naturalis. Itaque elementa, è quibus cuncta componi uidentur, & in quæ omnia reſoluuntur, principia mixtorum exiſtunt, & non rerum naturalium.

Cur contra negantes principia non diſputandum.

Elementa non rerum natur. principia.

QVAE ET QVOT RERVM NATVRALIUM UERA PRINCIPIA SINT.

Tria ſunt uera rerum naturalium principia, ſcilicet materia, id eſt ſubiectum: forma & priuatio. quorum duo prima per ſe ſunt eſſendi & rerum naturalium conſtituendi principia, quoniam intrinſecè res naturales conſtituunt, & earum ſubſtantiam complent ac perficiunt. Tertium, uidelicet priuatio, eſt ſolùm principium extrinſecum, & accidentarium: hoc eſt, per accidens principium, ſcilicet tranſmutationis rerum naturalium tantum, nil enim conſtituit, cum in re facta non manet. Et ideo per ſe nihil eſt priuatio extra materiam, cui ineſt ſicut accidens ſuo ſubiecto. quare ratione tantum diſtat à materia, nõ re ipſa. Nam principium eſt aliquod primum, ut dictum eſt, ex quo ut ex materia, fit & naſcitur corpus, uel per quod ut per formam conſiſtit corpus, ut horum utrumque rei factæ inſit, & indiſſolubiliter inhæreat, per ſe, hoc eſt tanquam pars ſubſtantiæ, non tanquam accidens inſeparabile, nedum ſeparabile. Et de tali principio rerum naturalium antiqui rerum naturæ interpretes uariè inter ſe diſſentiebant: contra quos Ariſtoteles operoſe diſputat. quorum ſecundum ueritatem, ut dictum eſt, tantum ſunt tria, ſcilicet materia forma, & priuatio, quæ ordine quodam explanaturi ſumus.

Priuatio per accidẽs principium

DE MATERIA PRIMA.

Materia prima, eſt primum ſubiectum cuiuſque rei naturalis, ex quo fit, ita quòd inſit rei factæ per ſe tanquam pars ſubſtantiæ, & non ſecundum accidens. Et cum res naturalis corrumpitur, illud ſubiectum tanquam ultimum abibit. nam unicuiq; tranſmutationi principium eſt, formæq; ſubiectum: quoniam eſt primum generationis ſubiectum, ultimus quoque corruptionis terminus. Cuius officium eſt, quamlibet in

Materia prima.

ſe tranſ

ſe transmutationem ſeu formam indiſcriminatim receptare: perinde atque oculus, qui omni colore liber eſt, ut omnes recipiat: & auris omni ſono externo, ne quem excludat. Hinc materia ſubiectum dicitur, & potentia paßiua, ſiue ſuſceptiua, quòd omnes formas & ſubſtantiales & accidentarias in ſe ſuſcipiat. Hæc eſt omnino imperceptibilis, atque inſenſibilis, incomprehenſibilis, ſed ſola ratione intelligibilis. Quare Ariſtoteles ſeptimo Metaphyſicæ dicit, Materia prima nec eſt quid, nec quale, nec quantum, nec aliquid eorum quibus res naturalis eſt de terminata. eſt enim non ens ſimpliciter, eſt propè nihil, eſt chaos informe. Eſt igitur non niſi intellectu perceptibilis hoc modo. Nam abſtractis à corpore naturali omnibus accidentibus, per intellectum tamen concipit adhuc animus materiam & formam. Quòd ſi & formam abſtrahas, remanet quoddam ualde occultum, quod dicitur materia prima. Sic ergo exuere oportet ſuis accidentibus ipſum corpus, ſi materiam & formam intelligere uelis. Eſt præterea materia prima, ſiue communis, ingenerabilis & incorruptibilis per ſe, hoc eſt ex ſui natura. Quod autem generatur & corrumpitur, fit per accidens, ratione formæ ei inexiſtentis, id eſt ſecundum eſſe totius compoſiti. Et hæc eſt materia ſecunda, ſiue particularis. Atque hæc materia ſecunda, eſt quælibet res naturalis, ex qua aliquid fit. Eſt enim materia corporea, ſenſibilis, iam formata per certam formam, non modò ſubſtantiariam, ſed etiam accidentariam, ſibi inditam: ut farina eſt materia panis, ſic ex ſemine carne & oßibus fit animal. Sic elementa quatuor, ſunt materia ſecunda mixtorum corporum: & ruſus, mixta ſunt materia aliorum corporum mixtorum: ut fumi & uapores ſunt materia pluuiæ, niuis, fulminis, &c.

Materiæ officium.

Materia prima.

Materia ſecunda quid.

DE FORMA.

Forma quid. Forma est id quod dat esse rei, hoc est materiæ, & eam in illo conseruat. Dat enim esse substantiale, si forma fuerit substantialis, ut anima homini: aut accidentale, si forma fuerit accidentaria, ut albedo albo. Cæterum forma quæ inter principia rerum naturalium adnumeratur, accidentariam non recipit. Materia enim & forma, ex quibus res naturales fiunt, substantiæ sunt, non accidentia. *Forma.* Est itaque forma principium, dans essentiam ac nomen cuique rei naturali, quoniam est primum principium actiuum, informans & figurans materiam, ita quidem quod totum corpus naturale perficiat & conseruet, atque rei naturali actum suum essentiámque suam adferat, cum sit corporis, seu totius compositi pars altera, qua nudata, statim cessat generatio. *Formæ officium.* Nam finis generationis est forma: quæ si abeat, res naturalis statim corrumpitur. cuius scilicet formæ officium proprium est, agere & efficere transmutationes, non quaslibet sine discrimine, sed suo toto competentes: haud aliter ac sigillum non quamlibet impreßionem, sed solùm sibi respondentem effigiat. Vt autem fiat utriusque, scilicet materiæ & formæ manifestius officium atq; natura, assumi solet crassa quædam, sed ad rem accommodata similitudo, hunc in modum. Sicut ceræ globus ex se nullam habet expressam imaginem, sed secundum uarias sigillorum sculpturas, uarias quoque potest suscipere formas, ita tamen quod succeßiuè quælibet inducatur: ita sanè materia ex sese, ad omnem prorsus formam suscipiendam, nullo discrimine adhibito, est constituta. Formas autem, ultimas puto, impoßibile est per naturam simul inesse.

DE PRIVATIONE.

Priuatio quid. Priuatio est absentia seu carentia formæ, cum aptitudine ad illam. Hæc enim nil aliud existit, quàm materia formæ

per

per intellectum priuata. Est namque priuatio formæ, qua (adueniente altera) materia priuatur. Quo fit, priuationem nihil aliud esse, nisi amißionem formæ, siue eius absentiam, quam mox materia suscipere potest. Vt cum ex homine mortuo fit cadauer, ablata forma substantiali, scilicet anima rationali sicut dico in artificialibus pannum nondum esse tunicam. Consequens est, quod rerum naturalium principium non est tantummodo unum, neque sunt infinita, nec tantũ duo, non unum tantum. Quoniam oportet principia rerum naturaliũ esse contraria. At idem non contrariatur sibi ipsi. Nam ea sunt rerum naturalium principia, quæ non fiunt ex aliis, neq; ex alterutris, id est ex sese mutuo, sed omnia alia ex ipsis, principia autem contraria talia existunt. Non sunt infinita rerum naturalium principia: quoniam si sic. tunc rerum naturalium tolleretur scientia. Nam scientia non habetur nisi per principia: quæ si infinita forent, essent incognoscibilia. Neque erunt tantum duo, quoniam requiritur tertium, scilicet subiectum, in quo se transmutent. Sunt igitur tria tantum rerum naturalium principia, & ea quidem uera. Nam unum subiectum (hoc est materia) quod græci hylen uocant, sufficit ad patiendum: & duo contraria, scilicet forma & priuatio, ad agendũ. Quoniam in factione naturali requiritur id quod fit, & hoc est materia: & id quo fit, & illud est forma: & aliud ex quo fit, & illud quidem est priuatio, quæ unum numero cum materia existit, ratione tamen duo sunt. Ex quo item sequitur, rerum naturalium principia esse ut duo, esse ut tria, esse ut contraria. Sunt enim duo constitutionis, scilicet materia & forma: tria uerò transmutationis, materia, forma, & priuatio mediatrix, quæ propriè nihil constituit, cum in re facta (ut dictum est) non manet. Concluditur igitur corrolariè, quod prima principia physica sunt, quæ ex alterius naturæ

Non tantũ vnũ rerum naturaliũ principiũ.

Tria tantũ rerũ naturaliũ principia.

Tria sunt principia corporis naturalis secundũ rationẽ distincta, secundũ substantiam verò duo tantum.

turæ physicis principiis minimè constituuntur: priora enim non habent. Neque unum ex altero constituitur, sed ex ipsis res naturales constituuntur omnes: & hæc sunt materia, forma, & priuatio, ut antea retulimus.

LIBER SECVNDVS, DE causis rerum naturalium.

Naturaduplex est, prima & infinita, Deus ipse, finita, physica, de qua hic loquimur.

Omnis causa principium. non contra.

PHysicorum libro secundo de principiis, seu causis scientiæ naturalis agitur. Nam natura dicitur principium, collatum ad totum copositum: causa autem, ad effectum. Ideo diximus, nos de principiis seu causis hic determinaturos: & hæ quidem sunt causæ per se, & per accidens, quas mox describturi sumus. Primùm autem quid natura, quid res naturalis, non naturalis, & contra naturam, & quid sit res artificialis, & quo ab inuicem distent, aperiamus necesse est.

Natura.

Natura est principium & causa motus, & quietis, in re naturali, cui primò per se, & non secundum accidens inest, ut materia, forma, & priuatio, de quibus dicitur natura. Hoc est, Natura est principium, & id est causa, scilicet efficiens motus & quietis, & cessationis à mutatione in rebus naturalibus. Primum, hoc est primarium, & non secundarium, quemadmodum qualitates primæ & secundæ. Per se, id est substantialiter, & non secundum accidens inest, sicut artes & scientiæ. Nam medicus æger in se habet suæ sanationis principium, medicæ facultatis artem: non tamen est natura, quoniam non est in eo primum, & per se, sed secundum accidens: & accidit ipsum esse medicum, & sanari. Similiter domus, lectus, & alia arte facta, artificiales formas in se habent quæ non sunt causæ quæ primum & per se insunt, sed secundum accidens, quapropter hæc dici nequeant naturæ. Cæterum quo dilucidior fiat naturæ definitio, scire cõuenit naturam esse id per quod res in qua existit, inclinatur ad receptionem

Exempla ab arte.

Liquidior naturæ declaratio.

ptionem motus, uel quietis, aut formæ alterius, scilicet generationis, corruptionis, aut reliquarum mutationum. Et ut significantius loquar, nihil aliud est natura, quàm uis indita unicuique rei à Deo ad agendum, aut patiendum in materia: ut ignis est calefacere, aquæ humectare. Est itaque natura cuiuslibet substantiæ corporeæ, & incorporeæ, & cuiuslibet quoque accidẽtis sensibilis & insensibilis essentia. Hoc est, natura est materia & forma, totáque corporis naturalis essentia, mutationi & motui obnoxia. Cuius officium est sua sponte materiæ inducere formam naturalem: & forma priori corrupta, eidem materiæ rursus aliam formam indere. *Officiũ naturæ.*

Res naturalis, quæ & corpus physicum uocatur, est, quæ ex naturis constat: ut ex sola substantia corporea, quæ artificiali opponitur. Nam res ipsa naturalis propriè est substantia corporea, simplex habens intra se principium sui motus, à forma substantiali: ut cœlum & elementa, simplicia corpora omnia: uel composita, ut meteora, metallaria, plantæ, animalia. Dicuntur itaque res naturales, quæ ex duobus principiis physicis, materia scilicet & forma naturali constant. Et quia materia & forma naturæ sunt, ex his itaque composita non abs re dicuntur. Sunt quoque idem, res naturalis, hoc aliquid, totum compositum, ens in actu. *Res naturalis quæ.* *Entiũ naturaliũ diuisio.*

Res naturalis est, quicquid nõ est substãtia corporea simplex, aut mixta, neque pars eius corporea: ut sunt, Deus, & substantiæ à rebus corporeis separatæ, quemadmodum omnes spiritus, etiam animæ rationales. *Res non naturalis.*

Res contra naturam sunt, quæ contra communem naturæ cursum accidunt, ut res fatales, quæ sunt monstra & miracula. Cæterum res præter naturam dicũtur rursus, ea quæ quemadmodum non repugnant quidem naturæ, ita nec ipsi conueniũt: ut lapidem laterali motu in loco plano ex impetu *Res contra naturam.* *Res præter naturam.*

moueri. Differunt autem, natura, habens naturam, & secundum naturam. Nam natura est principium mouendi, &c. Ens habens naturam, est substantia ex naturis constans, sicut totum compositum. Est enim naturarum una semper subiectũ, altera uerò semper in subiecto est. Secundũ naturam dicitur, aliqua proprietas consequens per se entia naturalia. Exempli gratia: in lapide forma lapidis, est natura lapidis: species siue substantia lapidis est habẽs naturam, & grauitas lapidis est secundum naturam. Et hoc illud est, quod hac diuisione innuit Aristoteles. Eorum quæ sunt, quædam natura, quædam ob alias causas, utputa à uoluntate, à forma.

Natura. Habens naturam. Secundum naturam.

Res artificialis est, substantia corporea, quæ non habet principium sui motus à natura, scilicet à forma substantiali, sed à figura, per artem uidelicet consilio hominis sibi inditam: ut fulcra, tunica, & omnes res per artem introductæ, in aliqua materia. & ex hoc liquet illorum differentia.

Res artificialis.

Distat autem Physicus à Mathematico. Nam physicus res naturales quatenus existunt in materia sensibili, considerat. Mathematicus autem cogitatione à materia abstrahit, & solum ad figuras & magnitudines respicit, negligendo materiam, sine qua figuræ esse nequeunt, sicut linea, superficies & corpus.

Quo physicus à Mathematico differat.

QVID CAVSA, ET eiusdem diuisio.

Quoniam scire est rem propter causam cognoscere, per quod unumquodque: igitur de causis hic determinandum est. Nam sicut rerum naturalium principia sunt causæ essendi rerum naturalium, ita modi causarum sunt principia cognoscendi eorundem.

Causa naturalis per se est, per quam suapte natura sequitur, uel natus est sequi, actu uel potentia suus effectus: ut,

Hic de causis naturalibus loquimur. ad quorũ essentiam sequitur effectus. Tum enim arbitramur, scire vnũquodque, cũ prima elementa & causas cognoscimus.

Ouum

Ouum est,ergo pullus esse potest. Item,pannus est,ergo tunica esse potest. Et,quia nubes est,ergo pluuia esse potest. Et illa uocatur causa per se,habens sub se quatuor causarum genera,siue species,quæ sunt: Materia,forma,efficiens,& finis. Alia uerò est causa per accidens, quæ ad effectum non ordinatur,ut casus & fortuna. *Diuisio causarum in quatuor genera.*

Materia est causa ex qua,cum aliquo,fit aliquid. Nam rerum naturalium materia est,ex qua cum forma fit compositum,tanquam ex parte substantiali:ut ex corpore & anima fit homo: & ex lignis, lapidibus, & cemento,fit domus: ex hordeo,aqua,& lupulo, fit ceruisia. *Causa per accidens.* *Materialis.*

Forma est causa, per quam res habet esse, & nomen & formam suam:uel esse substantiale,quēadmodum formæ rerum naturalium,ut ignis à caliditate:uel accidentale, ut per albedinem nix est alba. Sic quoque in artificialibus per formam aliquid nominatur,ut mensa,tunica,calceus. *Formalis.*

Efficiens est causa,à qua res aliqua fit tanquam à mouente primario,producendo,conseruando,corrumpendo:ut à sole oritur lux,& dies,à statuario fit statua, à sartore perficitur uestis. *Efficiens.*

Finis est causa,propter quam res est,uel gratia cuius aliquid fit ab efficiente:ut exercitium & moderata requies, fit propter sanitatem:& uestis fit ob corporis opertionem, & propter esum parantur obsonia. Hæc enim causa finalis impellit efficientem ad operandum. Effectus autem qui sequitur suam causam,est quod ad alterius esse consequitur. Effectus igitur causæ materialis est,quod est ex aliquo: Formalis,quod per aliquid: Efficiens,ab aliquo: Finalis,gratia alicuius. Nam & res eadem, diuersa ratione diuersi est effectus. Dictis causarum generibus insunt proprietates,seu cōditiones quædam. Prima: Eiusdem rei possunt esse plures causæ. Quod *Finalis.* *Effectus quid & quot ipsius genera.* *Cōditiones & proprietates causarum.*

h 5 quidem

quidem tum de uarijs causarum generibus, tum etiam de eodem accipere licet. Nam & efficientes causas habet idem homo, Deum ipsum, patrem, matrem: & uniuscuiusque rei tam naturalis quàm artificialis causæ sunt, efficiens, finalis, materialis, & formalis. Vt, lapides & ligna sunt materia domus: forma, est figura ipsa: efficiens, ædificator: finis, imbrium euitatio. Secunda conditio. Causæ possunt sibi inuicem esse causæ, ut deambulatio quamuis causa efficiens sit sanitatis, nihilominus interim sanitas ipsa ambulationis causa est finalis. Labor item causa est ualetudinis, & ualetudo laboris. Tertia conditio: Eadem potest esse causa contrariorum effectuum: Nam sol suo calore, ob uariam subiecti dispositionem, lutum quidem durum facit, ceram uerò mollem. Et idem gubernator nauis, sua præsentia est causa salutis nauis: qui quidem absens, causa existit periclitationis. Hæc de causis obiter dicta satis sint: nam curiosa, & parum utilia, hic omisimus.

Euĕtus fortuitus.

DE CAVSIS PER ACCIDENS quæ sunt casus & fortuna.

Solus Aristoteles fortunam & casum inter causas ponit agentes ex accidĕte, & ex genere raro contingentium.

Casus & fortuna, cum uideantur causæ à quibus multa fieri existimantur, de his hic breuiter aliquid dicamus necessum est. Nam euentus fortuitus est effectus non ociosus, proueniens à fortuna uel casu, præter consilium hominis, qui effectus gubernatur solius Dei consilio occulto. hunc appellat uulgus fortunam, & casum, quæ sic describuntur.

Casus quid.

Casus est causa per accidens, effectus, raro contingentis, non secundum propositum: ut si lapis deorsum ruens, lædat prætereuntem: aut si quis equus ex campo stabulum repetĕs, saluatur à lupo.

Fortuna quid.

Fortuna est causa per accidens effectus raro cŏtingentis, & in his quæ per electionem fiunt, absque eo tamen ut frequenter & necessariò fiant. Et diuiditur fortuna. nam quædam

dam est fors, siue bona prosperáque fortuna, seu euẽtus, qua aliquod grande bonum, præter intentionem euenit: ut si quis effodiens ad inserẽdum arborem, inueniat thesaurum. Quædam uerò est mala fortuna, siue malus euentus, quia ingens malum alicui inopinatè euenit: ut si quis equo cui insidet, deiectus, grauiter enormitérque lædatur. Est quoque alius medius euentus inter utrunque horum: ut si de gradu præcipitatus frangat brachium, & non ceruicem. Et est fortunæ ratio specialior, casus uerò communior. Omne enim quod fit à fortuna, est à casu, sed non è diuerso. nec tamen sunt idem, quoniam unum fit in agentibus secundum propositum, alterum uerò minimè.

Diuisio fortunæ. Bona. Mala. Media. Casus & fortunæ differentia.

Sunt itaque casus & fortuna causæ per accidens. Casualia enim, quoniam à natura fiunt, & fortuita ab intellectu, ideo ad genus causæ efficientis referuntur.

DE FATO, ET PROVIdentia Dei.

Fatum est connexio & perpetuus ordo causarum & effectuum, dependens à prouidentia primæ causæ, imponens necessitatem rebus fatalibus ineuitabilem. Et dicitur à fando, eo quòd necessario fiunt quæ Deus fatur.

Fatũ quid.

Prouidentia autem Dei, est ipsa diuina ratio, qua is cuncta, præterita & futura, uidet & cognoscit. Vel est scientia Dei certa, in eius mente ab æterno concepta, de his quæ olim facta, & post futura sint, necessariò, uel non necessariò. Ideóque si omnium rerum causalitatem in Deum referimus, nihil est quod fortunatum, casuale, monstrosum, aut miraculosum dici poßit. Nihil enim horum fit, nisi uoluntate Dei: licet physiologi hoc alijs causis, uel ueris, uel proximis tribuere.

Prouidentia Dei quid. Quicquid natura difforme est, hoc præter naturã est: & illud si

deficit in necessarijs aut abundat superfluis monstrũ & res monstrosa est. Et ergo natura agit propter finem quia sæpe deficit à fine.

LIBER TERTIVS, DE MOtu, & eius diuisione: atque infinito.

Passiones internæ & externæ.

HOc tertio Physicorum libro, de passionibus seu proprietatibus, interaneis siue intrinsecis entis mobilis, quæ sunt motus & infinitum, tractatur. Nam ignorato motu, ignoratur natura. Sunt autem passiones internæ, quæ rebus naturalibus insunt, ex eorum principijs, quæ sunt subiectiuè in eo cuius sunt. Contrà sunt externæ, quæ non sunt subiectiuè in eo cuius sunt affectiones, &c. ut locus, uacuum, & tempus.

MOTVS DEFINITIO PRIMA.

Motus est actus eius entis, quod est in potentia, quatenus est mobile: hoc est, Est actus cuiusque mobilis, ut mobile. hanc definitionem maiores nostri sic efferunt: Motus est actus entis in potentia, in quantum huiusmodi: id est, mobile, quod in idem redit. Est enim motus progreßiuus subiecti mobilis, de potentia ad actum continuè, & non subitò: quo existente, adhuc tamen eius motus aliquid superest.

SECVNDA MOTVS definitio.

Effectus motus.

Motus est actus imperfectus ad terminum, id est formam substantialem, uel accidentariam, uel ad locum aliquem. Et ideo effectus motus totidem sunt, quot species formarum substantialium, uel accidentalium, quæ indies in hac uniuersitate rerum acquiruntur, ac deperduntur. Et ideo finis motus est, terminum ad quem consequi, & terminum à quo mutari.

Motus generatim dictus.

Ideóq; physici generatim moueri dicunt mutari, aliud ex alio fieri, & non solum aliquid loco ferri. Sic mutatio in substantiã, uel quantitatem, uel qualitatem aut ex alio, uel etiam ex nihilo, & cum aliquid abit, & euanescit in nihilum, motus dicitur.

dicitur. Et ideomotus hic capitur, prout extendit sese ad omnem mutationē, seu speciem motus, quæ fit in aliquo subiecto, quod est in potentia, uel actu. & sic in prædicamentis numerantur sex motus species.

DIVISIO MOTVS.

Motuum alius est instantis, puto qui in momento temporis perficitur, ut est totius aëris illuminatio. Alius uerò subitus, qui in instanti quidem non completur, tamen in imperceptibili fit tempore: ut cum calefaciens, primum caloris gradum in subiectum inducit. Alius denique successiuus, siue secundum partem, siue secundum totum, quando scilicet aperta est in motu successio, cuiusmodi est motus calefactionis, ubi calor totus non in instanti aut subitò, sed cum temporis successione in subiectum introducitur. Est autem animaduertendum, in quolibet motu quinque requiri, sine quibus fieri non potest Subiectum, scilicet mobile, quod mouetur: mouēs, quod mouet: terminus, à quo mouetur: terminus, ad quem fit motus per spacium aliquod: & tēpus, in quo fit motus. Exēpli gratia: in alteratione à uitijs ad uirtutem, mouens est ipse Deus, mobile homo: terminus à quo receditur, uitium: terminus ad quem receditur, uirtus: tempus denique, illud totum in quo quis conuertitur ac resipiscit. Consequens est, quod motus subiectiuè est in mobile, quia est actus mobilis: non tamen est ipsum mobile, sed est respectus realis, extrinsecus aduemiens, ab eo realiter distinctus. Cuius officium est mobile suum deducere ad perfectionem uel corruptionem. Hæc de motu nunc satis dicta sint.

Motus instātaneus. *Subitus.* *Successiuus.* *Ad motū quinque requiri.* *Motus in quo subiectiue.*

DE INFINITO.

Quoniam finitum & infinitum intrinsecè motum concomitantur, prout est de genere continuorum: Infinitum igitur quid sit, paucis dicamus oportet.

INFINITVM.

Infinitum quid. Infinitum est cuius quantitatem dimetiens, semper aliquid inuenit, quod ei superest: & tale infinitum actu inuenitur nullum in rerum natura, præter solum Deum, qui est infinitus & immensus. *Infinitum in quibus* Infinitum nanque propriè, non nisi in quantitate molis, hoc est magnitudinis per diuisionem partium, & numeri per additionem comperitur, & in tempore quoque, & in hominum generatione per succeßionem. Et motum quoque cœli per durationem esse infinitum, credit Aristotcles, non autem magnitudine.

LIBER QVARTVS DE loco, uacuo, & tempore.

QVarto hoc Physicæ auscultationis libro de affectionibus seu paßionibus entis mobilis externis disseritur, quæ sunt proprietates seu mensuræ, extrinsecè rebus naturalibus adhibitæ, & hæ sunt, locus, uacuum, & tempus: quæ omnia suo ordine describuntur, hoc modo.

Loci definitio. Locus est ultima superficies concaua (id est interior) corporis continentis, id est locantis: in se locatum immobilis primum hoc est proximum: de cuius ratione non est ut moueatur cum locato. Vel locus est superficies concaua corporis, proxima locato: ut interior illa atq; ultima superficies cœli lunæ, ignis locus est. *Loci differentiæ.* Cuius loci sex sunt differentiæ, scilicet: supra, infra, ante, retro, dextrum & sinistrum. *Corporis superficies.* Superficies quoque corporis trifaria est, scilicet: Plana, quorum nulla superficies alteri supereminet, ut superficies mensæ superior: Concaua, ut interior uasis pars: Conuexa, ut uasis pars exterior.

Locus

Locus duplex
- Communis, qui plurium corporum est contentiuus, ut aër, qui multa uariáque in se receptat corpora. *Locus communis.*
- Proprius, qui solum unius adæquatè est contentiuus: ut locus uini in fidelia. & ille æqualis est locato, & immediatus illi. *Proprius.*

Vnde sequitur, quòd locus continet totum locatum, & nihil est extra ipsum, cum non sit aliud quàm locatum. Et quod locus semper est æqualis locato, atque illi contiguus. Est quoque locati conseruatiuus, eóque locatum quiescit, sibíque connaturalis existens. Hic curiose nonnulli inquirunt, An duo corpora poßint esse in eodem loco, &, An idem corpus posit esse in diuersis locis. Cum nihil prohibeat id fieri posse infinita potentia diuina, seu creatoris: licet potentia creaturæ id fieri sit impoßibile. *Loci proprietates.*

Vacuum est locus uerè imaginarius, non repletus corpore, aptus tamen (si foret) recipere corpus locatum, quod in rerum natura esse nequit. Natura enim non admittit errans uacuum, frustra quippiam agens. Neque ob id in canthraro, uino emisso, uacuum existit, cum sit plenus aëris mox subintrantis. Et hæc est causa, quod uinum ex uase non educitur, nisi aër per superius subintret, ne committatur uacuum. *Vacuum quid.* *Vacuum rusticum.*

Tempus est numerus primi motus, mensurans motum rerũ mutabilium. secundum prius & posterius: hoc est, mensura, quo motus numeratur, seu secundum partes successionis mensuratur. Est enim tempus, spatium ex cœli, solísque uertigine deductum, quo omnium mobilium agitationem, uicißitudinémque *Tẽporis definitio, uariáque eius descriptio.* 2

3 dinémque metimur. Vel est mensura motus, non in eodem momento, sed secundum prius, id est præteritum: & posterius, hoc est futurum. Est nanque officium temporis, mensurare motum cuiusque rei mobilis per se, & quietem per accidens, quia motus est mobilium, & non permanentium propria paßio.

Officium temporis.

Triplex tẽpus.

Tempus triplex.
- Præsens, est finis præteriti, & initium futuri. quod alioqui instans & nunc dicitur.
- Præteritũ, est tempus quod fuit, & iam nõ est.
- Futurũ, quod modò non est, sed aliquando erit.

Variæ temporis proprietates.

Partes autem temporis sunt, nunc, tunc, iam, modò, olim, repente, nunc aliud initians, aliud continuans, aliud terminans. Habet autem tempus proprietates quasdam, quæ sunt:
1 De tempore nihil habemus nisi nunc. est enim unum nunc in toto tempore. Quoniam tempus spatium est in quo aliquid transigi posse consideratur, quia nunc est continuatio, præsen
2 tis, adeóque actus & substantia temporis. Nam momenta continuata sine interuallo sunt tempus ipsum: sicut puncto cũ
3 tinuata sunt ipsa linea. Nunc non est pars temporis integralis,
4 seu quantitatiua, sed definitua, & essentialis. In tempore inuenitur minimum, quia est numerus in quo est reperiri mi
5 nimum. Tempus non dicitur uelox, neque tardum, sed longũ & breue, multum & paucum: cum nec numerus ullus, nec
6 quantitas ulla talis uocetur. Tempus ipsum, uniuersale puto,
7 est simpliciter unum numero ubique. Tempus cognoscitur motu, & è diuerso: quoniam unum metitur alterum. Ea quæ semper sunt, & quæ nunquam existunt, non mensurantur
8 tempore, quia mensurari tempore, est esse in tempore. Omnia quæ sunt in tempore, patiuntur aliquid in tempore. Omnia enim quæ in iempore sunt, tabescunt in eo, éstque causa obli
9 uionis. Præterea omnis motus habet fieri in tempore, quod per

per se est causa corruptionis, potéstque per accidens esse cau
sa generationis. Tempus est mensura motus & quietis. Tem 10
pus nō est paßio cuiuslibet motus, sed primi mobilis tantum, 11
in quo subiectiuè existit. Ex quibus colligitur, quòd immor-
talia atque perpetua non mensurantur tempore: nec quicquã
patiuntur in eo. Nam æterna, & ea quæ sempiterna sunt, non
dicuntur propriè esse in tempore, quia in æternitate est nunc
unum, quod semper sistit fixum, atque immobile. Immortalia
itaque atque perpetua, tempore non mensurantur, ideóq; nec
quidpiam patiuntur in tempore.

Aeterna non mensurari tempore.

LIBER QVINTVS, DE Diuisione motus, in suas species.

QVinto Physicorum libro, de Motus diuisione in suas species, siue in partes subiectiuas essentiales in prædicamento locabilibus determinatur. Et de quiete, déque unitate, & motus contrarietate, quæ omnia motui accidunt, discernendi erit ratio. De eius itaque diuisione, breuißimum hunc accipe typum.

Diuisio motus in suas species.

Motus capitur dupliciter.

- Generatim, prout se ad mutationem extendit, & sic sex sunt eius species.
  - Generatio.
  - Corruptio.
  - Augmentatio.
  - Alteratio.
  - Diminutio.
  - Loci mutatio.
- Propriè, prout distinguitur contra mutationē, bifariā.
  - Secundum nomina, & sunt quatuor species,
    - Augmentatio.
    - Diminutio.
    - Alteratio.
    - Loci mutatio.
  - Secundum prædicamēta, & erūt 3. scilicet motus ad.
    - Qualitatem.
    - Quantitatem.
    - Vbi.

Quomodo sumatur hic motus.

Ex quo sequitur, quòd motus in hoc loco tantummodo pro mutatione accidentali sumitur. & ideo generatio & corruptio, hic motus non dicuntur, sicut in tertio huius institutionis libro, Vbi motus accipitur pro quacunque mutatione seu exitu de termino in terminum, siue id fiat succeßiuè, siue instantaneé. & ideo isthic numerantur sex motus species, hic tantummodo tres: quia motus semper terminatur ad aliquam formam, quæ est ens, & mutatio de subiecto in subiectum. Et ideo motus propriè dictus non est ad substantiam & relationem, neque ad actionem & paßionem. Non ad substantiam, quia omnis motus est de contrario in contrarium. At substantiæ nihil est contrarium, ergo ad substantiam non est motus. Nec ad relationem, quia aduenit alicui sine omni mutatione. Ad actionem quoque & paßionem non est motus,

quia

quia sunt idem cum motu. Concluditur itaque, quòd motus propriè dictus, solum terminatur ad dicta tria prædicamenta.

DE QVIETE.

Quies motui contraria est, priuatio motus in eo subiecto, cuius aptitudo est ut moueatur. Et est quies triplex, naturalis scilicet, qua res in sua forma locóque quiescit: ut homo in sua forma humana, terra in mundi centro, ignis in sublimi. Animalis quies est, cum animal cessat à suo motu: ut in somno dormiendo, quiescit ab appetitu, & motu progreßiuo. Violenta quies est, qua res non in sua forma accidentaria, aut substantiaria quiescit, nec etiam in suo loco: ut si coruus arte dealbetur, lapis in turrim sustollatur.

Quies quid. *Naturalis* *Animalis.* *Violenta.*

DE VNITATE ET CONTRArietate motuum, atque eorundem accidentibus.

Ex quo unitas, continuitas, uelocitas, uniformitas, regularitas, & id genus alia accidentia motus existunt, de eis pauca dicamus necessum est. Continuus igitur motus dicitur, in quo nulla fit temporis interruptio: è contrario discontinuus. Vnus dicitur motus, qui fit in uno subiecto mobili, ad unam formam acquirendam, uno continuóque tẽpore. & ideo qui continuus est, idem & unus est: & contrà dicitur diuersus. Velocem item motum dicimus, per quem minori tempore maius quid uel acquiritur, uel deperditur. Tardum contrá. Vniformem, quo mobile iuxta partes suas, æquè uelociter aut tardè mutatur: & per contrarium difformis. Regularem, quo mobile æqualiter, atque similiter primo, medio, ultimóque tempore mouetur. Irregularem, è diuerso. Regularis itaque & uniformis rectus habetur. Perfectus, qui ad finem absolutionémque suam peruenit: rursum imperfectus, qui

Quis motus. *Continuus* *Vnus.* *Velox.* *Vniformis.* *Regularis.* *Perfectus.*

terminum suum non attingit.

Motus naturalis. *Sunt præterea & aliæ motus species, scilicet, Naturalis, qui est secundum naturam rei: Animalis, qui fit ab anima: Et uiolentus, qui fit contra naturam. Cuius quatuor sunt species, scilicet pulsio, tractio, uectio, & uertigo. Motus uerò contrarij sunt, qui ex contrariis terminis in contrarios terminos euadunt: ut motus de albo in nigrum, de calido in frigidũ. Alius est motus medius, uel diuersus, ut cum album fit fuscum, & frigidum tepidum.*

Animalis. *Violentus.* *Motus contrarij qui.*

LIBER SEXTVS, DE DIVIsione motus in partes magnignitudinis.

Diuisio motus in partes integrales. *IN sexto hoc Physicæ tractationis libro, de diuisione motus in partes integrales quantitatiuas, siue magnitudinis, quæ diuiditur in spacia, sicut numerus in unitates, agitur, quas parteis quantitatiuas, ex diuisione mobilis ac temporis recipit. Motus itaque in parteis integrales, partibilis est secundum diuisionem mobilis, & temporis. Primùm liquet, quoniam motus accidens est in mobili, tanquam in suo subiecto existens, quare ad sui subiecti partitionem diuidi necesse est. Secundum manifestum est. Nam omnis motus fit in tempore, & mensuratur eo. mensuratum autem aliquo diuiditur ad mensuræ suæ diuisionem. Quinque autem comperiuntur circa motum & mutationem, habentia ad se inuicem mutuam diuisionis proportionem: scilicet,*

Secundum diuisionem mobilis. *Temporis.* *Quinque ad motus diuisionem requiri.*

Motus ipse.

Spacium, per quod fit motus.

Tempus, in quo fit motus.

Mobile, substantia ipsius motus.

Moueri.

Quorum tria propria, per se diuisibilia existunt, quoniam

quantitatem habent per se. Vltima uerò duo, quantitatem habent per aliud. Consequens est: Omne continuum, hoc est magnitudinem omnem, ex indiuiduis conflatum esse, operæpretium est. id est: Omne continuum diuisibile est, in semper diuisibilia. Cuius species sunt: Linea, superficies atque corpus, quas licet ex sequentibus descriptionibus satius accipere. Continui species.

Continui species:
- Linea est magnitudo, quæ secundum unam diuisionem, scilicet longitudinem, diuisibilis est.
- Superficies, quæ secundum duas, scilicet longitudinem & latitudinem partibilis est.
- Corpus, quod omniquáq; diuisibile est. scilicet longitudine, latitudine, & profunditate.

Vnde sequitur: Quod continuum est id, cuius partes copulantur ad communem terminum, non separatè. sic puncta continuant lineam. superficies continuatur à lineis. Corpus autem habet cõtinuas superficies. Quapropter cõtinua sunt, quorum ultima sunt unum: ut lignum indiuisum. Contigua autem sunt, quæ se mutuò tangunt, separata tamen sunt: ut dolium & uinum, & omne corpus locans & locatum. Cõtinuũm quid.

DE DIVIDVO ET indiuiduo.

Diuiduum, quod aliàs diuisibile uocatur, est, quod secundum suas partes diuidi potest sicut, quantitas continua & discreta. Indiuiduum autem est, quod nequit in minorem quantitatem, aut alias partes secari. Vt in quantitate continua punctum, in tempore momentum, in numero unitas. Finitum Diuiduũ.

igitur & infinitum, ad cōtinui raiionem pertinent. Nam mobile non potest esse infinitum: si tempus & magnitudo sunt finita, quia partes mobilis & temporis proportionantur, eo quòd in parte temporis, pars mobilis pertransit aliquod spacium: & sic oportet accipere tot partes mobilis, quot partes tēporis: sequitur, quòd mobile quod mouetur, in toto tempore finito est finitum. ex quo concluditur item, quòd mobile, motus, tempus spacium super quod fit motus, & moueri ipsum, æqualiter diuiduntur penes finitum & infinitum. Hæc itaque de diuisione motus in parteis integrales quantitatiuas, pro breuitate abundè sufficiunt.

Conclusio.

LIBER SEPTIMVS DE computatione motuum, ad motores & mobilia.

Cōparatio motuum ad motores & mobilia.

IN hoc septimo Physicæ auscultationis libro, qui est proloquium octaui, Aristoteles de cōparatione seu motuum aßimilatione ad motores & mobilia determinat. Ex quibus concludit, primum motum, primum motorem, ac primū mobile esse. præmittendo primò hoc axioma, Quòd mouens & mobile esse simul, sit necesse: quod in omnibus speciebus motus, quæcunque fuerint, manifestum est. Tum primum motum ac primum mobile inquisiturus, talem uidetur nectere rationem.

Axioma.

Ratio.

Omne quod mouetur, ut ab alio moueatur necesse est. At in mouentibus & motis non est progredi in infinitum. Ergo deueniendū est ad aliquod unum primū mouēs seipsum, quod sit omnino mobile. Primam huius rationis partem probat primo: Quia cum aliquid ab extrinseco moueatur, & mouendi principium extra ipsum cognoscitur, manifestum est ab alio moueri

Probatio.

Maioris probatio duplex.

moueri. Cum uerò ab extrinſeco non moueatur, uim intra ſe latentem & motiuam retinet, à quo ipſum mouetur: ut corpus ab anima, & omnia naturalia, quæ à principio intrinſeco mouentur, ſibi coniuncto: quemadmodum grauia & leuia, quæ à forma grauitatis & leuitatis feruntur: effectiuè tamen, ab extrinſeco ſcilicet generante, utroque tamen modo mouentur ab alio.

Secundò, Nihil quod quieſcit motu ſuo, ad quietem alterius, mouetur à ſeipſo. Omne autem quod fertur, quieſcit à latione ſua, ad quietem alterius: ideo nihil mouetur à ſeipſo. Id quidem propalam exiſtit, in omni motu uiolento, naturali ac animali: quoniam quieſcente mouente, quieſcit & res lata. ut quieſcente anima, corpus non mouetur. Secunda pars dictæ rationis patet. Nam ſi in mouentibus & motis foret progredi in infinitum, neceſſarium eſſet, motum infinitum fieri tempore finito: quod ad impoßibile euadit, ut dictum eſt: ergo illud, ex quo infertur. Nam quemadmodum dictum eſt, ſi mobilia finita ſint, poßint moueri tempore finito, & tamen motus infinitorum mobilium erit finitus: fieret ergo motus infinitus infinito tempore. Non eſt igitur in mouentibus & motis proceſſus in infinitum. Ergo deueniendum eſt ad aliquod unum primum mouens ſeipſum, omnino mobile. Nam mouens eſt duplex, ſcilicet immobile, & illud eſt Deus: & mobile, & illud eſt cœlum primum mobile dictum, quod eſt omnino mobile. De motuum comparatione non ignores, quòd ea quæ exiſtunt unius ordinis, ſunt adinuicem comparabilia. Non igitur omnis motus omni motui comparabilis exiſtit. Nam motus alterationis non eſt motui locali comparabilis, propter inæqualitatem, in qualitate & quantitate. Ob id quoque motus omnium prædicamentorũ non ſunt mutuò cõparabiles. Nec motus rectus circulari,

2 Motus violentus. Naturalis Animalis. Minoris propoſitionis probatio.

Concluſio.

Motuum comparatio cuiuſmodi.

culari, quorum comparatio fieret secundum uelocitatem, sed ea non esse per idem spacium, manifestum est. Sed de his satis. Nam septimum hunc librum, ut quintum & sextum, paucis absoluere curauimus, ne bonas horas in re parum utili disceptando frustra locare uideamur.

LIBER OCTAVVS, DE PRIMI motus, primi motoris, & primi mobilis perpetuitate.

Motus & motor primus quis.

OCtauo, & eo quidem ultimo Physicorum libro, de primo motu, primo motore, & primo mobili dissseritur. Quis praeterea motus perpetuus, & quae motoris primi proprietates, determinare contendit philosophus. Primùm itaque agitat hanc quaestionem: Vtrum primus motus sit perpetuus, ita quod nũquam incoepit, nec unquam desinet: quod suo modo probat Aristoteles ita esse. Concluditque motum fuisse ab aeterno, mundúmque esse perpetuum, nunquámque desiturum, hac ratione: Si mundus & motus incoepisset per mouẽs aliud, & illud iterum per aliud, & caetera: & sic esset abire in infinitum, quod ad impoßibile euadit: ergo motus & mundus non incoepit, sed fuit ab aeterno. Sed quia manifestum est, fidei nostrae firmitate, motum naturaliter non incoepisse, neque suapte natura desinere unquam posse, nisi iussu Dei, per quem omnia facta sunt, non naturae neceßitate, sed libera & incommutabili eius uoluntate bonitatéque: dicimus itaque mundum creatum, & certo tempore incoepisse, neque tamen desiturum unquam, quamuis post extremum diem mutandus sit, non secundum formam & essentiam, sed solùm secundũ qualitates. Purgabitur enim & immutabitur, seu innouabitur, fietque multo quàm modò est, amoenior. Caeterum haec missa faciamus operaepreciũ est. De primi autem motus unitate,

Primus motus an perpetuus.

Aristoteles hic contra dogma Christianum decernit motum esse sempiternũ, sempérque fuisse, eo quòd mundũ asserit esse aeternum.

Mundus creatus necessario.

unitate, perpetuitate, & primi mobilis mobilitate, & proprietatibus eiusdem, quantum natura Epitomes patitur, paucis disseramus oportet. Quod tribus thematibus, & eis quidem breuißimis, absoluere curauimus.

De vnitate primi motoris, primi motus. & primi mobilis perpetuitate.

Thema I.

Vnum esse primum motorem, seu mouens immobile, iam in 7. libro ostensum est. Quod autem unus sit ex eo constat. Nam motus quem causat primus motor, unus est, & regularis: ergo & motor unus erit: qui ut sit perpetuus, necesse est. Quoniam cuius effectus perpetuus est, causam quoque perpetuam esse oportet. Motus autem perpetuus erit, stante mundi perpetuitate: ergo motorem perpetuum esse est necesse. Praeterea tempus est perpetuum, igitur & motus erit perpetuus, quia tempus sequitur motum, & est eius numerus, & affectio. Et is quidem motus perpetuus, est motus circularis, primi circuli, seu primi mobilis, qui unus est, cōtinuus, regularis, ac perpetuus, naturaliter loquendo. Et illud primum mouens immobile est, ita quod ab alio minimè moueatur, quia illud est extra genus praedicamenti, & generum entia Mouens autem primum in genere, ab eo quod est extra genus mouetur. Nam anima mobilis in genere, mouetur ab appetibili aliquo: quod est Deus, qui est immobilis, existens primus motor extra genus, qui immobilis permanet, datque cuncta moueri.

Vnus motor primus, & motus vnus perpetuus.

Alia ratio.

Primũ mouens immobile, Deus.

Mouēs primum in genere.

Quis motus sit perpetuus.

Thema II.

Inter motus, primum, localem, & circularem, oportet esse perpetuum: quoniam aeternum est, ante quod nihil est. At ante motum localem, circularem, nihil existit. Est igitur omniũ

Motus perpetuus.

Aeternum quid.

primus,unus,ac perpetuus,quoniam ab uno primo ac perpetuo motore proficiscitur.

Quæ primi motoris proprietates.

Thema III.

Primus motus *infinitæ uirtutis est,unus,impartibilis, sempiternus, incorporeus, nullam habens magnitudinem, sine fatigatione perpetuò mouens,in primi mobilis circunferentia,seu circuli habens residentiam,qui dictus est uelocißimus & æternus.*

Epitomes octo librorum Aristotelis Physicorum Finis.

IN LIBROS DE COELO AC MVNDO

Præfatio.

DE COELO *atque mundo disserturi, quid cœlum ac mundus sit,enarrare operæpreciũ duximus.* Cœlum *itaque est corpus simplex, sphæricum,perpetuò mobile, actu compluri- mis sphæris,stellis,ac astris pulcherrimè insignitum, cælatum, & ornatum.* Et *id quidem uariè accipi, pluráque significare,manifestum est.*Nam *ipsum primum mobile, extremum mundi corpus, quod aliàs firmamentum,& cœlum stellatum* Aristoteles *uocat,dicitur.*

Cælũ quid.

Eiusdem significationes.

Secundò significat omnes sphæras contiguas in regioneætherea. Sic cœlum appellamus supremum mundi spacium, intra primum mobile, & elementa. Tertio *capimus cœ-*

lum

lum pro toto mundo: & ab hoc quatuor elementa, & quicquid cœli ambitu continetur, simili appellatione mundum nominamus. Hinc quoque maiores nostri aërem cœlum nuncuparunt.

Mundus autem est substantia corporea, complectens ordine suo cœlum ac terram, & eas naturas quæ in cœlo & terra continentur. Hunc Græci κοσμὸν (hoc est mundum) ab ornatu & pulchritudine sua uocauere, quòd secundum Deũ nihil sit neque pulchrius, neque ornatius, uel admirabilius. Hunc uniuersitatem, uel uniuersum appellant, eo quòd mundus tanquam sedes amœnissima, & capacissima complectitur, atque contineat omnia, uniuersáque simplicia mixtáue corpora. Si autem materiam cœli ac mundi peruestigare uolueris, scire licet, materiam cœli, & corporum cœlestium longè aliam esse quàm elementorum, aut corporum mixtorum. Nam elementa & corpora composita sunt generabilia, & corruptibilia; Cœlum autem ingenerabile est, & incorruptibile, ut postea suo loco docebimus. Materia quoque, mundi, ex qua sit conflatus, nulla est. uel enim creatus, uel æternus est mundus. Si creatus est (ut credimus) ex nihilo factum esse oportet. Si æternus est, certò ex nullo factum esse constat, cum nec cœperit, neque finietur unquam, ut placet Aristoteli: quod tamen ab orthodoxis in nostro dogmate minimè recipietur. Cæterum cum de creatione uel æternitate mundi humana ratio nil certi, neque perpetui definire queat, fide intelligamus, uerbo Dei aptata esse secula. Veruntamen materia mundi impropriè significat omnes partes eius, simplices uel compositas. Forma autem substantialis mundi est ipsa perfectissima essentia mundi, cum suis partibus. Hæc sensibus nõ est exposita, sed imaginatione animi perceptibilis. Verùm ista forma est inanimata: tametsi Plato cœlum animatum

Mundus quid. *Κόσμος.* *Vniuersum.* *Vniuersitas.* *Materia cœli quæ.* *Materia mundi nulla.* *Hebr. 11.* *Forma substantialis mundi.* *Anima mundi.* *Infrà li. 2.*

de cœlo & mundo themate, 111. *Cœlum animatū dicit.* matum fecit, de anima mundi pleraque disputans.

Cæterū accidentaria mundi forma est orbicularis & sphærica, quæ tanquam perfectißima perfectißimo debetur corpori: ut patebit.

Efficiens causa mundi. *Roma. 1.* Efficiens autem causa mundi, tametsi apud Peripateticos nulla sit, cum eum æternum esse asserant: attamen scriptura authore ac fide, Deus est mundi opifex, creator, & seruator: quod nemo negare potest. Nam inuisibilia Dei, à creatura mūdi, per ea quæ facta sunt, conspiciuntur. *Finis mundi.* Finis uerò mundi est, gloria Dei, & commoditas hominum. Effectus uero eius, est suis lationibus & influentijs hæc inferiora mouere & uegetare. Etsi tamen finitus sit mundus, hoc est finitam habeat magnitudinem, tamen omnia intra sese complectitur, adeò ut extra mundum nil sit prorsus, de quibus postea abundantius.

Finis Præfationis.

QVATVOR LIBRORVM de cœlo & mundo Aristotelis, Epitome.

Argumentum. *Corpus mobile est substantia corporea composita ex materia prima & substantiali forma.* IN libro de Cœlo & mundo, de corpore mobili ad ubi, scilicet de natura motúque locali cœli, & quatuor elementorum, tanquam de eius rei materia agit Aristoteles: quem in quatuor secuit libros, quorum primo de uniuersi mundi machina generatim disserit, ubi primùm mundi integritatem, secundo finitatem, tertio unitatem, quarto perpetuitatem uigilanter disquirere conatur. quem nos sequuti, librum hunc primum in octo breuißimas propositiones, seu themata digeßimus.

Prima propositio.

Corpus ma Corpus de ratione continui existens, est magnitudo perfecta.

cta. Nam omne, totum, & perfectum, idem sunt sed corpus tota est magnitudo, & omnis. habet enim tres dimensiones, quæ sunt omnes. Est igitur magnitudo omniquaque perfecta.

gnitudo perfecta.

Numerus ternarius perfectus.

Secunda.

Vniuersus mundus corporeus est omniquaque perfectus. habet enim tres corporis dimensiones, quæ sunt omnes. Complectitur enim omnium corporum perfectiones. Mundus itaque hic capitur pro substantia corporea, complectens suo ordine cœlum & terram, & eas naturas quæ cœlo terráque continentur, sic quoque & cœlum capi, hoc loco necesse est. Est enim corpus simplex, sphæricum, perpetuò mobile, actu stellis & astris pulcherrimè munitum, ut dictum est.

Mundi ac cœli acceptiones.

Tertia.

Totum mundum ex quinque corporibus simplicibus conflatum esse, est necesse. Quoniam præter quatuor elementa, dicta corpora simplicia, quæ motu recto natura feruntur, est aliud corpus simplex, quod suapte natura circulariter agitatur. & id quidem philosophi quintam essentiam uocant: & ea profectò omnia, cum simplicia existunt corpora, ex alijs minimè composita, uniuersa motu simplici moueri necessum est. Sunt itaque tres motus simplices secundum locum: quoniam omnis motus simplex, aut est circularis, & is fit circa mediū: qualis est motus primi cœli. Vel igitur talis est rectus simpliciter, & id quidē bifariam accidit. Vel enim est à medio, & sic est motus sursum, sicut motus ignis, & aeris: uel ad medium, & sic est motus deorsum, quemadmodum motus terræ & aquæ. Mixta uerò mouentur medio modo, iuxta elementorum prædominantium naturam.

Totus mundus ex 5. corporibus simplicibus conflatus.

Tres motus simplices secundum locum.

Mixtorū motus.

Quarta.

Cœlum neque graue, neque leue existit, neque aliqua eius partium: & in hoc ab omnibus elementis distans est. Nam cœlum

Cœlum neque graue, neque leue.

cœlum neque mouetur sursum, neque deorsum, sed suapte natura torquetur motu circulari, tanto naturam nobiliorem gerens, quantum à sensibilibus semotum separatúmque existit, illis supereminens. Est igitur corpus sempiternum, & omnium primum. Neque aliqua eius partium grauitatem aut leuitatem recipit: quoniam parteis totius naturam comitentur necesse est.

Cælum corpus sempiternum & omniũ primum.

Quinta.

Cælũ ingenitũ & incorruptibile.

Cœlum est ingenitum & incorruptibile, non augmentum, non decrementum sustinens: ergo neque alterationem aliquã, ut reliqua sensibilia suscipiens. Quoniam in eo tot annorum millibus, ut aiunt Astronomi, in nullo uidetur trãsmutatum: esse igitur sempiternum, manifestum est.

Sexta.

Mũdus nõ quãtitate, sed duratione infinitus.

Mũdus tãtum vnus.

Mundus est non magnitudine, sed duratione infinitus, & tantummodo unus. Quando corpora uniuersum mundum constituentia, mouentur natura ad sua loca propria, ergo alium mundi locum constituere nequeunt. Igitur mundi infiniti numero esse non possunt. Quòd autem sit tantummodo unus mundus, patet. Quoniam est tantum unus motus cœli regularis: ergo erit tantum unum primum mobile, & unus mundus. Nam si essent plures mundi, plures quoque ac diuersi motus locíque extra cœlum essent: sed id abhorret natura.

Septima.

Extra cælum nihil.

Extra cœlum non est corpus, locus, uacuum neque tempus. Quoniam æterna non sunt suapte natura in loco, neque in tempore, nec illis mensurantur: uerùm extra cœlum (hoc est, extra cœli influentiam) sunt entia, optimam uitam ducentia, & per se quidem sufficientißimam, quam toto complent æterno, non senescentia in tempore, in loco non trãsmutabilia,

inalte

inalterabilia, impaßibilia, ab omni motu, mutationéque aliena. Quia nequeunt aliquid à sustantia rei abijcere.

Octaua.

Mundus duratione, ut diximus, sempiternus est, ac perpetuitate infinitus. Nam omne ingenitum ac incorruptibile, sempiternum existit. At mundus ingenitus est, & incorruptibilis: ergo sempiternus existat necesse est. *Mundus quo modo perpetuus.*

DE COELO ET MVNDO, libri secundi Epitome.

SEcundo libro de cœlo atque mundo, de uniuersi mundi corporea, tanquam primaria eius parte, quæ est corpus simplex, quod quintam essentiam uocant, scilicet de proprietatibus, motu, & figura totius, & partium earundem disseruit Aristoteles: quæ in uniuersum quatuor ac decem Thematibus discussuri sumus.

Thema I.

Cœlum neque factum est, neque corrumpi contingit: sed unum sempiternum principium est, consumptionem non sustinens, in se infinitam temporis seriem continens. Nam totus mundus sempiternus est, ergo & cœlum (quæ eius pars existit) sempiternum est & immortale, loquendo naturaliter. *Cœlũ sempiternum & immortale.* Estque locus sursum deorum habitaculum, quod non Atlante fultore sustentatur, ne mole sua procumbat deorsum, quemadmodum fabulantur poetæ. *Atlantis fabula.*

Thema II.

Tametsi cœlum moueatur motu sempiterno, fertur tamen sine fatigatione & pœna. Fertur enim secundum propriam suæ naturæ inclinationem: & quod sic fertur, est infatigabile, pœnam non sustinens. *Cœlũ moueri sine fatigatione & & pœna.*

Thema III.

Cœlum omnes positionum differentias continere naturaliter manifestum est, quemadmodum in animatis omnibus. *In cœlo omnes positionum differentiæ.*

Est

Cœlũ animatum. Est enim cœlum animatum, cum animæ nobilis inclusione. Patet igitur thema. Nam in cœlo polus antarcticus est sursum, polus uerò arcticus est deorsum: Oriens, à quo incipit motus, dextrum: Occidens autem, sinistrum: meridies ante, septentrio uerò retro, Consequens igitur est, polum nobis inuisum: esse sursum: uisum autem, deorsum, secundum motum primi mobilis. & sic nos sub terra degimus. Secundum relationem autem ad motum planetarum, qui primo mobili retrogradus est, polus Arcticus nobis sursum est, sic nos supra terram agimus: alij quos Antipodas uocant, infra.

Paulò ante in præfatione de cœlo & mundo contra sentire videtur.

Quis polorũ sursum, quis deorsum.

Thema IIII.

Plurima esse corpora cœlestia est necesse pluribus motibus mota. Ad saluandas generationes & corruptiones rerum naturalium, plures circulorum sphærarúmque lationes esse operæprecium est. Nam secundum motum primum ac diurnum uniuersus mundus æqualiter se habet. non potest ergo suapte natura esse causa generationis, & corruptionis. Quia idem eodem modo se habens, semper natum est facere idem. Consequens igitur est, alium esse motum, qui relationem habeat in diuersos effectus. & is est motus solis in zodiaco circulo, & aliorum planetarum. Cœlum igitur moueri pluribus motibus operæprecium est.

Motus planetarũ & Zodiaci.

Thema V.

Cœlũ sphæricæ figuræ. Totum corpus cœleste sphæricam sibi uendicare figuram necessum est. Nam hæc figura & substantia primo cœlo conuenientissima est, magísque idonea, & perfectissima, quæ perfectissimo debetur corpori, quod est cœlum. Est igitur sphæricæ figuræ.

Thema VI.

Motus cæli vnus & regularis. Motus cœli unus est, & regularis: quoniam ab uno motu, & eo quidem regulari proficiscitur. est igitur unus, & regularis,

gularis, quemadmodum octauo Physicæ institutionis docuimus. Sequitur itaque, cœlum esse corpus simplex, æthereum, & sphæricum, perpetuò mobile, stellis & astris pulcherrimè munitum: quod modò singillatim ostensuri sumus. *Cœlũ quid*

Thema VII.

Astra seu stellæ, de natura suorum orbium in quo feruntur, & non ignea esse oportet. Est enim stella densior suæ orbis pars, retinens lumen, quo uisui est subiecta, nullius elementi naturam suscipiens. Quoniam inalterabilia sunt uniuersa corpora cœlestia, atque eius partes. Astra autem sunt caloris effectiua, communi luminis uirtute, propria autem ui alios obtinent effectus. Est enim eorum altera uis siccare, humectare, infrigidaréque. Inter quæ solem magis calefacere, iussu Dei, manifestum est, luminis sui reflexione. *Astra non esse de natura ignis.*

Thema VIII.

Omne astrum aliud à sole lumen suum receptat. Quoniam omne astrum, solis collustratione fit lucidius, quàm sui natura esse poßit. Est quoque sol stellarum omnium maximè lucidus. Est enim primum eius generis, causáque posteriorum. Astra itaque proprium lumen sunt habentia, fragile tamen: quod luna ecclipsata, experientia uidemus. Stellæ quoque scintillare uidentur, propter nimiam à uisu distantiam: comásque representare cernuntur, quas habent nullas. Astra quoque, sidus & stellas, hoc libro pro eodem accipi, non ignores: licet differre uideantur. *A sole illustrari omnia astra.* *Stellas non scintillare.*

Thema IX.

Astra sonum non sunt causantia, quemadmodum Pythagorici opinati sunt. Nam illorum sonos nusquam audiri, neque sensus ab illis aliquid pati absonum est. Non igitur edunt sonum & harmoniam. *Astra sonum non edunt.*

Thema X.

Situs ac numerus corporum cœlestium.

Corporũ cœlestiũ sphæræ, earúmque ordo.

Nona ſphæra nullum habet aſtrum, octaua continet multitudinem eorundem. Sed in ſeptem ſphærarum ſequentium ſpacio eſt tantum unicum aſtrum, in diuerſis orbibus diſtinctum. Id quidem ita eſſe, ex Aſtronomica ſcientia cognitum habetur. Conſequens eſt, nomen eſſe corporum cœleſtium ſphæras. Quarũ Ariſtoteles diui Platonis authoritate ſolum octo eſſe commemorat. Primam, primum mobile firmamentum ſeu cœlum ſtellatum eſſe aſſerit. Secundam Saturni, tertiam Iouis, quartam Martis, quintam Solis, ſextam Veneris, ſeptimam, Mercurij, octauam Lunæ. Quód autem ſint in diuerſis orbibus diſtincti, liquet. Nam non habent ſe ſemper in æqua diſtantia ab inuicem. Alij ſtatuunt cœlũ cryſtallinum, alij empyræum, ſed eos conſpexiſſe cœlos, propter nimiam à nobis elongationem, uidi adhuc neminem.

Thema XI.

De motu corporũ cœleſtium.

Quanto orbes cœleſtes ſunt ſupremo orbi uiciniores, tanto uelocius feruntur motu diurno, & motu proprio tardius. Motus enim primi mobilis ſimpliciſsimus & uelociſsimus eſt: ideo ſphæras inferiores uelocius ſecum rapit, remotiores uero tardius. Huic quoque motui omneis inferiores ſphæræ contraferuntur, quia ſunt illi primæ lationi uiciniores pluri tempore: qui uero remotiores, minore: & medij, medio modo. Et quia cœlum ſtellatum propinquius exiſtit primo mobili, ideóque ſecundũ Aſtranomos complet circulum ſuum in 24. horis, qui diurnus uocatur. Eſtq́; cœlum ſtellatum maius inferioribus orbibus. nam inæquali tẽpore mouetur per æquale ſpacium, & per conſequens eſt motu diurno uelocius, tardius uerò motu proprio, qui cõpletur in 49. millibus annis quem magnum Platonis annum uocant. Saturnus uerò complet motum

Cœlum ſtellatum reliquis orbibus maius

Magnus Platonis annus.

tum suum in 30. annis, Iuppiter in 12. Mars in duobus. Sol in 365. diebus & 6. horis, annum constituentibus. Venus & Mercurius quoque in uno anno solari circiter. Luna diebus 28. qui mensem lunarem faciunt. Sed de his satis, quoniam Astronomi est ista exquisitißime uestigare. Sequitur, quòd Saturnus & reliqua errantia sidera seu planetæ pariformiter in 24. horis complent motus suos diurnos, & hoc quidem motu raptus primi mobilis. Motu autem proprio, qui retrogradus cœlo existit, complent motus suos, ut dictum est. *Quãto tempore planetæ perficiũt motus suos.*

Thema XII.

Astra omnia sphæricam sibi uendicare figuram, instar sui orbis, in quo, & secundum quem feruntur, necesse est. Experientia enim comperimus, solem atque lunam orbiculariter eclipsari, ut uocant, seu deficere: quod Mathematicorũ problemata liquidius probant. Nam eclipsis lunæ est, interpositio terræ inter solem & lunam, quod fit in oppositione. Eclipsis autem solis est, interpositio lunæ inter aspectum nostrum & corpus solare: quod fit in coniunctione plerunque. Apparet uterque figuræ circularis, propter reflexionem radiorum per corpus circulare, scilicet terræ, aut lunæ. *Astra sphæricæ figuræ Sol, Luna.* *Eclipsis quid.*

Thema XIII.

Terra centrum mundi existens, in medio ipsius, scilicet mundi, locatur, illicque quiescens: est quoque sphæricæ figuræ, & quantitatis paruæ. Mouetur nanque terra ad mundi medium, tanquam ad suum locum naturalem, ibique naturaliter quiescit. Eámque sphæricæ figuræ esse, quemadmodum alia elementa, docent astrorum occultationes ex diuerso terræ situ. Quantitatis uerò paruæ existit tellus, intellige per relationem ad astra reliqua. *Terræ situs, figura & quantitas.*

DE QVATVOR ELEmentorum natura, figura, situ, & ordine.

Annotatio.

Ignis. Ignis est corpus simplex, peruium, supremum elementorum existens, sphæræ lunari proximè subiectum & conterminum. Estq; omnium elementorum leuissimum, calidissimum quoque, & siccum.


Aër. Aër est elementum leue in respectu ad aquam, calidum & humidum, complens omnem locum, non repletum aliquo corpore terrestri, uel aqueo.

Aqua. Aqua est elementum graue, per relationem ad aërem, frigidum & humidum, circunquaque naturaliter terram alluēs, non cooperiens totam propter animantium salutem. Nam situs terræ non est naturalis, sed fatalis, iussu Dei ita factus.

Terra. Terra est elementum graue simpliciter, frigidissimum & siccum, secundum se totum immobile, mundi centrum, ut diximus. Sequitur, elementa apud nos non esse corpora simplicia pura, sed merè mixta. ideoque ignis hic uiolenter reseruatur, neque lucet nisi adiecta ei materia externa. Aër uaporibus miscetur, aqua terrestreitate, terra uerò humoribus. Est autem in centro corpus simplex. Author sphæræ mundi, cui cosmographia affinis est, hoc loco consulendus erit, qui cunctis de Cœlo libros intelligere probè uolentibus, non parum utilis est. hic nedum elementorum sphæras, sed & planetarum atque primi mobilis seriem ostendit, quorum exemplar hîc breuissimè subiecimus, hoc modo:

Elemēta nō esse in his inferioribus pura.

TYP



Sequens sphæra æthereaperuia seu lucida, à variatione omni sua immutabili essentia immunis existit, motu continuo circulariter incedens.

TYPVS COELORVM.



DE COELO ET MVNDO LIBRI tertij & quarti Epitome.

Liber hic tertius à plerisq; cōmentatoribus tāquā superuacaneus praeteritur.

TErtio ac quarto de Cœlo ac mundo libro, Aristoteles, de corporibus simplicibus motu recto mobilibus, quæ sunt quatuor elementa, disputat, quorum motus per grauitatem & leuitatem determinatur, quæ sunt illorum corporum simplicium interna & uera principia. Et hoc primum, secundum antiquorum opiniones, uarie de quatuor corporum simplicium natura disceptantium, quorum fabulis ac nugis prætermißis, ex quarto de Cœlo libro, ueritatem sequuti, quatuor iecimus themata.

Them

Thema I.

Elementa partes sunt uniuersi mundi corporei, ex quibus mundus iste sensibilis constat: quorum moles tametsi sphæricæ seu rotundæ figuræ sint, ut diximus, attamen motus eorundem naturalis non est circularis, sed rectus in leui per se sursum, in graui quoque deorsum.

Elemētorū motus.

Thema II.

Duæ sunt grauiū atque leuium differētiæ, ex quibus quatuor elementorum essentiæ sumuntur. Nam aliud est graue simpliciter, & aliud ad alterū, siue in respectu, seu relatione. Aliud item est leue simpliciter, & aliud ad alterum relatum. Graue simpliciter est, quod omnibus substat: ut terra. Leue simpliciter est, quod omnibus supereminet: ut ignis. Graue autem & leue ad alterum sunt, quæ quibusdam supereminēt, & quibusdam substant, ut aër & aqua. Neutrum enim eorum simpliciter graue est, aut leue.

Grauium atq; leuiū differetiæ.

Thema III.

Qualitates primæ motiuæ sunt interna ipsorum motuum elementorum principia, quorum sunt quatuor. Nam unum est Elementum semper natum ferri sursum, & ei contrariū semper natum est ferri deorsum. & sunt duo, quæ modo sursum, modò deorsum, comparatione sumpta ad alterum, feruntur.

Principia elementorū motiua quæ.

Sunt igitur tantum quatuor elementa, quorum qualitates sunt interna ipsorum principia & uirtutes motiuæ. Sunt autem elementa in locis proprijs grauia atque leuia habitualiter, non actualiter, quoniam non tendunt aut feruntur deorsum, aut sursum. Loca itaque grauium ac leuium sunt causæ externæ motuum ipsorum. mouentur enim ad sua loca, tanquam ad suum finem.

Elementorum grauitas atque leuitas.

Causæ grauitatis & leuitatis in rebus naturalibus.

Thema IIII.

Neque figuræ, uacuum, neque plenum, possunt esse cau-

sæ grauitatis aut leuitatis in rebus naturalibus, sed loca ipsorum naturalia, & ipsa natura. Licet enim corpus *acutæ figuræ citius descendit per medium, latæ uerò tardius, id quidem est purè per accidens.* Sed *quia uacuum nullum est, nullius igitur causa esse potest, nec grauitatis, neque leuitatis.* De *graui itaque & leui, quatenus sunt corporum simplicium differentiæ, & qualitates motiuæ, dictum sit satis.* Nam *de elementis secundum quatuor qualitates primas, in libro sequenti de* Generatione *dicturi sumus abundantius.*

Conclusio.

Librorum de Cœlo ac Mundo Finis.

IN LIBROS DE GENERATIONE ET CORruptione *Præfatiuncula.*

IN tertio Naturalis *philosophiæ libro,* Aristoteles de generatione *& corruptione*, déque *natura genitorum atque corruptorum, & eorundem causis ac proprietatibus determinat scilicet de corpore naturali, quod est mobile ad formam aliquam mixti perfecti: hoc est, de corporum simplicium, scilicet elementorum transmutabilitate, quomodo ex eis generationes fiant.* Nam *cum uniuersæ naturalis philosophiæ subiectum est substantia corporea, uel corpus mobile, quatenus est motui uel mutationi obnoxium, ut dictum*

Subiectum totius naturalis philosophiæ.

ctum est: Sic ergo in philosophia naturali, non solũ tractatur de rerum naturalium principijs, & de his quæ principijs sunt connexa, atque quæ ex eis oriuntur, sed etiam de mundo qui mouetur quidem secundum parteis, atque alteratur. Sic cœlum quoque est corpus mobile, quod motu locali tantum mouetur & fertur, non tamen est mutabile secundum formam & qualitatem. Elementum quoque est corpus mobile, quoniam ipsa inuicem mutantur: quemadmodum omnia mixta & composita ex elementis sunt corpora mobilia, de quibus hoc libro agitur. Est enim corpus mobile, substantia corporea, composita ex materia prima, & substantiali forma. quæ definitio conuenit & cœlo & mundo, & elementis, nedum mixtis corporibus, quia tametsi cœlum & elementa sint corpora simplicia, hoc est non composita ex alijs corporibus, sunt tamen composita ex materia prima, id est Chao, & ex forma, quod suo loco explicabimus liquidius.

Cœlum solum secundum locum moueri.

Elementa.

Corpus mobile.

Materia prima Chaos.

Præfatiunculæ Finis.

LIBRORVM DVORVM DE Generatione & corruptione Aristote lis, Epitome.

Libro, & eo quidem primo, de Generatione & corruptione, seu corporum simplicium transmutabilitate, tractabimus quid generatio, quid corruptio, alteratio, augmentatio diminutio, loci mutatio. Et de his quæ requiruntur ad huiusmodi motus: scilicet, de contactu, actione, paßione, atque mixtione: unumquodque breuißimè suo ordine explanaturi.

Generatio.

Generatio est mutatio materiæ à forma substantiali pristina, in aliam formam substantialem, quæ nondum inest, sed mox inerit ei materiæ. Est enim formæ substantialis acquisitio,

Generatio quid.

Duplex generatio. ſitio, ut cum de non homine generatur homo. Eſt autem duplex generatio. Propria, quam ſimplicem uocant, ut cum generatur ſubſtantia: impropria, quã ſecundum quid, aut qualem uocant. Eſt enim accidentis acquiſitio, ut cum albedo generatur in homine, aut aliquid huiuſcemodi.

Corruptio.

Corruptio quid. Corruptio eſt mutatio & amiſſio formæ ſubſtantialis, quæ prius inerat materiæ, ſed nunc non ineſt eidem. ut in corruptione hominis forma, hominis amittitur, & euaneſcit, quæ inerat materiæ eius: iam uero non ineſt amplius, quia ſuſcipit aliam formam, & fit cadauer. quo fit, generationem unius eſſe corruptionem alterius: ut ſi generetur pullus, corrumpitur ouum. *Generatio unius, alterius corruptio.* In corruptione autem elementorum mox fit reſolutio in materiam primam, quæ eſt ingenerabilis & incorruptibilis. Verùm in corruptione mixtorum ex elementis, ſiue animata ſiue inanimata fuerint, non fit ſtatim reſolutio in materiam primam. Materia autem prima, quæ eſt omnium generabilium & corruptibilium una, ſubiectum eſt generationis & corruptionis. Materia uerò proxima, hoc eſt ſecundaria, alia & alia exiſtit.

Materia prima quid. Eſt autem materia prima, ſub ea ratione accepta, quæ eſt ens, in pura potentia, denudata & ſpoliata, per intellectum ab omni forma, & ſubſtantiali, & accidentali. Et ideo materia prima, eſt non ens ſimpliciter, & prope nihil: eſt non niſi intellectu perceptibilis, eſt chaos informe. Materia uerò proxima, ſiue ſecunda, eſt materia conſiderata ſeu apprehenſa per intellectum, ad formæ determinatæ ſuſceptionem: & illa non eſt omnibus tranſmutationem habentibus una & eadem. *Materia secunda.* Alia enim eſſe leonis membra, aliaq; bouis, manifeſtum eſt. Differunt autem generatio & corruptio. Nam generatio eſt motus à non ente actu, ſed potentia ad eius actum. Cor- *Generationis & corruptionis differẽtia.*

ruptio

ruptio uerò est motus ab ente actu, ad non ens.

De alteratione.

Alteratio est mutatio, & progressus, à qualitate sensibili, ad aliam sensibilem qualitatem contrariam, aut mediam: ut si ex albo nigrum, & dulci amarum fiat: & ex incolumi corpore, fit ægrum. Causæ itaque efficientes sunt, qualitates naturales primæ atque secundæ. Differt autem alteratio à generatione, & alijs motus speciebus, quia alteratio est in prædicamento qualitatis, augmẽtatio uerò & diminutio in prædicamento quantitatis, quemadmodum in Physicis diximus.

Alteratio.

Alterationis & generationis differentia.

De augmentatione.

Augmentatio est mutatio, de minore quantitate (ut magnitudinis) ad maiorem acquisitio: ut si cubitale crescat in bicubitale. Proprium autem augmentationis est, ut quælibet pars corporis aucti, ipsa quoque augeatur, si modo incolumis sit, & non læsa. Nam in habente membrum arefactum, pars illa læsa non augetur.

Augmentatio.

De diminutione.

Diminutio est mutatio de maiore quantitate in minorem, manente eodem subiecto, corpore mutabili: ut cum quippiam bipedale per defluxum partiũ, aut condensationẽ, fit pedale.

Diminutio.

Diminutioni affinis est cõdensatio, quæ est diminutio corporis, sine ablatione partis, uel corporis: quod in macerata carne perspicuum est. Augmentationi autem affinis est rarefactio, condensationi opposita, atque contraria.

Condensatio.

Rarefactio

De latione.

Latio est mutatio, ac motus, de uno loco in alium: sicut motus ignis sursum, & terræ deorsum. Angelus quoque ferri mouerique dicitur, à cœlo in terram: metaphoricè tamen.

Latio seu loci mutatio.

Est

Est autem motus secundum locum triplex: rectus, circularis, & mixtus. quod alibi dictum est.

De contactu.

Contactus quid. *Contactus est applicatio duorum corporum, positionem habentium in continuo secundum exteriores superficies suas, sine medio corpore, mixto præsertim, necessaria ad actionẽ: ut ignis & aër proximus, quia cõtigua sunt. Est & cõtactus improprius & metaphoricus, quem alij innaturalem uocant, ut cum aliquid mouet alterum. sic quod non agit in ipsum, nec patitur ab eo: & hoc modo dicimus tristitiam agere in nos.*

De actione.

Actionis descriptio. *Actio est aßimilatio qualitatis sensibilis, agentis ad qualitatem patientis, transmutans corpus motum, forma accidentaria: id est, nouam qualitatem suppeditans, sensibilem corpori passo. ut cum aqua calefit ab igne.*

De passione.

Paßio. *Paßio est aßimilatio qualitatis sensibilis patientis, ad qualitatem agentem sensibilem, transmutans motum forma accidentaria: hoc est, adferens nouam qualitatem sensibili corpori passo. Agens itaque refertur ad causam efficientem, quoniam est causa unde fit motus.* *Patiens.* *Patiens uerò refertur ad causam materialem, quia habet proprietates materiæ. Nam formæ est agere, materiæ uerò pati.*

De mixtione.

Mixtio quid. *Mixtio est alteratorum & miscibilium unio, quia fit corpus naturale compositum, scilicet sub una forma mixti. Dicitur alteratorum, & non corruptorum compositio, quoniam mixta propriè non corrumpuntur, sed alterantur, & recipiunt aliam formam: ideo non corrumpuntur, quia corruptio terminatur ad non esse, mixtio uerò minimè. terminatur enim ad esse mixti, ut cùm aqua uino miscetur.*

DE GENERATIONE ET Corruptione libri secundi Epitome.

SEcundo de Generatione & corruptione libro Aristotelis, de natura generabilium & corruptibilium, déque elementorum transmutatione, & de causis transmutationis eorundem agitur: quem in tres partes diuisimus. Prima, de principio materiali & formali elementorum dicemus. Secunda, de eorundem ad inuicem transmutatione, & mixtorum generatione. Tertia, de causa, principijs, & perpetuitate huiusmodi generationis ipsorum. *Materies libri.*

DE PRINCIPIO MATERIALI atque formali elementorum: Pars prima quinque continet propositiones.

Prima.

Materia prima, ens existens in pura potentia, est principium materiale elementorum, siue generatorum, & corruptorum. Nam quæcunque sunt ad inuicem transmutabilia, ex una constant materia. At elementa sunt prima corpora mutuò transmutabilia. Igitur unam habent materiam, quæ ens existit in pura potentia. Nam cum prima sunt corpora, in alia priora resolui nequeunt: resoluuntur ergo in materiam & formam. *Materia prima.*

Secunda.

Quatuor qualitates tactiles, siue tangibiles: non ut sunt substantiæ absolutæ, sed in quantum sunt actiuæ & paßiuæ, sunt elementorum principia formalia: quia dant esse formale. *Qualitates tactiles.*

Tertia.

Solum quatuor qualitates primæ, sunt elementorum formales differentiæ. Sunt enim duæ actiuæ, scilicet calidum & frigidum: duæ uerò paßiuæ, humidum scilicet & siccum,

quæ

Calidum. quæ hoc modo describuntur. Calidum est, quod congregat homogenia, & heterogenia seiungit: ut ignis)quemadmodum aurum) congregat ea quæ sunt eiusdem tribus atque cognationis, & quæ alienigenæ sunt naturæ, separat. Frigidum, quod & congenea & heterogenia counit & congregat. Humidum, indeterminatum termino proprio, bene terminabile alieno. Siccum bene terminatum termino proprio, & malè alieno. Et hæ sunt qualitates primæ. Nam illa dicuntur prima, quæ non constant ex prioribus uel ex se inuicem, siue ex alterutris.

Frigidum. Humidum Siccum.

Quarta.

Septem cõtrariarum qualitatũ differẽtiæ.

Ex aliarum tangibilium qualitatum contrarietatibus, sumuntur qualitatum secundarum septem differentiæ: scilicet calidum frigidum, humidum siccum, leue & graue, durũ molle, lubricum & aridum, asperum & læue, crassum subtile: quæ sic reducuntur. Nam frigidum causat graue, calidum autem leue: siccum causat durum, humidum molle atque lubricum: siccum causat aridum & asperum & crassum, humidum uerò subtile. Constat igitur quomodo omnes aliæ qualitates secundæ causantur à primis, & ad ipsas reducuntur.

Quinta.

Tantũ quatuor elemẽta.

Quatuor sunt elementa, & non plura, secundum combinationem quatuor qualitatum primarum desumpta. nam calidum & siccum combinantur, & constituunt ignem, calidum & humidum aërem, humidum & frigidum aquam, frigidum uerò & siccum causant terram. Est igitur numerus elementorum quaternarius. Aliæ autem qualitates licet combinari uidentur, nihil tamen constituunt: sicut calidum & frigidum, humidum & siccum.

DE

DE ELEMENTORVM AD INuicem transmutatione, & mixtorum generatione. Pars secunda, quatuor continet propositiones.

Prima.

Omnia elementa sunt immediatè, ad inuicem transmutabilia: facilius tamen, symbolū in qualitatibus habentia. Sunt enim contraria, quæ sunt ad inuicem transmutabilia. Facilius tamen ea, quæ una qualitate tantum discrepant: ut aër & ignis, aqua & aër. In his enim alterna generatio.

Elementa mutuo trāsmutabilia.

Secunda.

Tametsi elementa existant prima corpora ad inuicem transmutabilia, non tamen potest unum elementum esse omnium rerum naturaliū subiectum, seu materia, ex qua manente secundum substantiā, in re facta res naturales omnes cōstituerentur. Nam si sic, omnia essent unum elementū. ut si ignis esset rerum omnium materia, omnia essent ignea & sic de reliquis dicendum foret. Præterea omnis materia & forma, est prior formato, quoniam omnis causa est prior suo effectu. At elementa constant ex materia & forma: ergo elementa habēt sua principia priora, scilicet materiā & formam, & per accidens priuationem. Sequitur, elementa principia esse mixtorum, non primò rerum naturalium. Elementa quoque secundum se tota non transmutantur, hoc est non generantur, neque corrumpuntur, aliámue mutationē subeunt, sed creata perdurant in sua essentia.

Elementa mixtorum principia.

Prima principia physica sūt, quæ ex alterius naturæ physicis principijs minimè constituuntur. priora enim nō habent, neque vnū ex altero constituitur, sed ex ipsis res naturales constituuntur omnes.

Tertia.

Elementa sunt prima corpora sensibilia, generabilia, & corruptibilia, quoniam unum illorum non est principium generationis aliorum, ut dictum est, nec habent aliquod corpus distinctum ab eis, quod est prius ipsis, ex quo alia generantur. Consequens est, ipsa esse prima corpora generabilia,

& corruptibilia. Elementorum itaque alterna est generatio, hoc est, alterum ex altero gignitur.

Quarta.

Ex concursu quatuor elementorum, circa mundi medium existentium, nascitur mixtorum perfecta generatio, cum ad medium temperamenti fit reductio, non eadem quantitate, sed ipsorum ad inuicem proportione. Nam ex his sumus, ex quibus nutrimur. Nutrimur autem ex mixtis, quoniam pura elementa non nutriunt. Constat enim in hac terra uix ullum elementum deprehendi merum, sed partibus suis mixtum & impurum. quare nutrire uidentur & aqua, & terra, animalia & plantas. Elementa tamen in suis locis naturalibus pura existunt, terra circa centrum. nam hic alterata pluuijs, calore &c. impura est. nutritque.

Elementorum impuritas.

DE CAVSA, PRINCIPIIS, & perpetuitate generationis & corruptionis:

Pars tertia, tribus absoluitur propositionibus.

Prima.

Tria generationis & corruptionis principia.

Generationis & corruptionis tria sunt principia: scilicet materia, forma, & efficiens, ad generationem & corruptionem requisita. Nam nihil est mobile, nisi habeat materiam: & materia nuda non potest esse mobilis, cum non poßit existere. Ergo in motu requiritur forma. & cum nihil reducit seipsum de potentia ad actum, ergo requiritur efficiens. Nec sufficiunt ad generationem & corruptionem particularia agentia, nisi adiungatur eis causa uniuersalis, cœlum motum ab intelligētia, sine quibus reliqua entia esse habere nequeūt. unde dici solet, Homo generat hominē, & sol: homo tanquam causa particularis, sol uerò tanquam uniuersalis. Nam stante motu cœli, cessabunt omnes generationes & corruptiones.

Secun

Secunda.

Perpetua est generationum & corruptionum series: quia causa, scilicet motus cœli, perpetuus est, ergo effectus illius perpetuus erit: si naturaliter loqui uoluerimus. Motus autem primi mobilis, nequit esse completa & sufficiens causa perpetuitatis generationis & corruptionis. oportet ergo subdere alias lationes uario modo incedentes. Relinquitur ergo, motũ cœli sub obliquo circulo causam esse diuersitatis generationis & corruptionis. quia idem, in quantũ idem, semper natum est facere idem: ut secundo Cœli dictum est.

Ex perpetuitate motus cæli & motorũ sumitur perpetuitas generationis & corruptionis.

Tertia.

Tempus generationis, est æquale tempori corruptionis, & è contrario. Quia tẽpus accessus solis & recessus ad nos, & à nobis, est æquale: unde sequitur, unamquanque rem naturalem habere propriam periodum suæ uitæ.

Libri de generatione & corruptione finis.

IN QVATVOR METEORORVM LIBROS

Procemium.

Meteoris imposuere Græci nomen, à sublimitate, speculationéque sublimium. Nostri vocant impreßiones, eo quòd plerunque in sublimi aeris regione tales effectus imprimuntur. Est enim meteoron, corpus compositum, imperfectum, ex vapore & exhalatione effectum, in aere plerũque apparere solitum. Quorum aliud est igneum, aliud aqueum, aliud medium, scilicet aereum: quorum summa in sequenti formula in vniuersum perspicitur, postea autem speciatim omnia paucis perstringemus. Impreßiones itaque meteorologicæ sunt quadruplices: scilicet, igneæ, aereæ, aqueæ & terreæ. Igneæ rursus duplices, flammeæ & phantasmata. Flammeæ, quæ verè ardent. Phantasmata verò, quæ non ardent, sed solis vel alterius astri lumine collustrantur. quorum hæc est summa.

Meteoron quid, eorũque diuisio. Impreßiones quadrifariæ.

IMPRESSIONVM ALIAE SVNT,

- **Flammeæ**
  - Stipulæ
  - Aeges
  - Dali
  - Sydus uo.
  - Cometes.
- Phantaſmata
  - Hiatus
  - Illuminationes ſerotinæ
  - Vorago
  - Colores.
- De quibus agitur primo libro.

- **Aqueæ**
  - Pluuia
  - Ros
  - Pruina
  - Nix.
- Item
  - Grando
  - Fontes
  - Flumina
  - Mare,
- De quibus determinatur libro ſecundo.

- **Aereæ**
  - Venti
  - Terræ motus
  - Fulmina
  - Tonitrua
  - Ecnephias
  - Typhon.
- Quædam radiorum apparitione:ut
  - Halon
  - Iris
  - Virgæ
  - Parelij.
- De omnibus his agit libro tertio.

- **Terreæ**
  - Aurum
  - Argentum
  - Cuprum
  - Stannum
  - Plumbum
  - Ferrum
  - Orichalchum.
- &
  - Reliqua metallaria, lapidéſque quæ in terra ex concreto generantur uapore, de quibus pauca tractat finis libri tertij. at copioſius de ipſis agitur in libris Mineralium.

Libro autem Quarto, de operationibus quatuor qualitatum primarum, actiuarum & paßiuarum, diſſeritur.

LIBRI

LIBRI PRIMI METEOrorum Aristotelis Epitome.

Liber primus Meteororũ duabus absoluitur partibus. Prima, de causis effectiuis materialibus, & locis in quibus generãtur huiusmodi meteora seu effectus, ex elementorum atque mixtorum imperfectorũ alteratione causatis, agitur. Secunda, de his quæ generantur in alto ex materia calida & sicca: scilicet, de meteoris igneis. Prima pars quatuor continetur propositionibus, seu potius præcognitionibus.

Prima.

Cœlum causa est efficiens impreßionum Meteorologicarum, hoc est mixtorum imperfectorum in sublimi apparentium. Aqua autem & terra, materia: id est, materiam unde fiant, præstant. & talis est exhalatio calida & sicca, uel uapor calidus & humidus. Finis est salus animantium, eo quòd exhalationes fœtidæ, putrescentes, uenenosæ, ne animantibus noceant, comburantur.

Secunda.

Necesse est hunc mundum sensibilem esse contiguum, lationibus superioribus, ut tota uirtus eius inde gubernetur: quo fit, ut elementum ignis locatum sit in concauo orbis lunaris, & semper concauum unius elementi, in concauo alterius, ut per medium continuum cœli influant uirtutes in hæc inferiora. quia in uacuo nullus est motus, neq; esse potest.

Mundi cõtiguitas. Vnum elementum alterum cõtigue circundat, & est altero in decupla quãtitate maius.

Tertia.

Cœlum influit in hæc inferiora, triplici instrumento: motu, lumine, & influentia. Motu quidem effectiuè, adaptans materiam: lumine suo, formaliter: influẽtia, finaliter, influendo ipsius motoris uirtutem.

Quarta.

Tres sunt aëris regiones, seu partes, secundum diuersas

qualitates differentes: scilicet, suprema, media & infima. Suprema, exceßiuè calida & sicca existit, propter ignis uicinitatem, cui contigua est, atque circulariter cum ipso ad motum cœlorum rapitur. semper enim unum elemẽtum circundat alterum, & est altero in decupla quantitate maius. Media autem est perpetuò frigida, quia radiorum solarium reflexio eò pertingere nequit. Frigiditatem eius, effectus in ea geniti probant. Infima tepidior euadit. est enim calida atque humida, tẽperata per accidens: quandoque frigida, ob solis elongationem seu distantiam multam. Et illæ aeris regiones, sunt loca in quibus generantur impreßiones igneæ & aqueæ.

Aer receptaculũ omniũ impreßionum.

SECVNDA PRIMI LIBRI PARS de Meteoris igneis, flammeis, & phantasmatibus tractat, quæ ex exhalatione calida & sicca generantur: & continet quatuor titulos.

De meteoris flammeis. Tit. I.

Impreßionum ardentium generatio.
Halitus.
Antiperistasis.
Stipulæ ardentes.
Aeges.
Stella cadens.
Draco uolans.
Faces, trabes.

Flammearum uerè ardentiũ hæc est uera generatio. Terra à sole calefacta, duplicem emittit spirationem: unam calidam & siccam, & talis exhalatio siue halitus, est materia impreßionum, ut uocant, ignitarum, quæ in suprema aeris portione, ignis uicinitate inflammatur, aliquando in infima per Antiperistasin, hoc est iuxtapositionem sui contrarij, à qua inflammantur. Acquisita enim exhalatione calida & sicca, præpinguis aliqua figura uel multitudine, uel paucitate, sortiuntur sibi talia nomina. Nam cum exhalatio lata est discontinua, & longa, dicitur stipulæ ardentes. Et cum per globos accenditur, & scintillat, dicitur Aeges, uel capræ saltantes. & si transcurrit repentè aera, stella cadens uocatur. Et si incuruatur, obueniente aliquo obstaculo, draco uolans appellatur: à similitudine figuræ quam imitantur. sic faces, trabes, colum-

columnæ, seu lampades ardentes apparere uidentur. Aliamq́ spirationem, seu exhalationem calidam & humidam, quæ uapor dicitur, emittit tellus, ex qua impreßiones, seu effectus humidæ, siue aqueæ generantur, de quibus libro & eo quidem secundo commentabimur. Columnæ. Lampades Vapor.

De phantasmatibus, seu nubium coloribus. Tit. II.

Ex exhalatione calida & sicca, per calorem solis & aliorum astrorum sursum lata, secundum diuersam luminis astri receptionem, uaria causantur phantasmata, noctu existente serenitate, quæ uocantur, Vorago, hiatus, & sanguinei colores. Nam si illa exhalatio est in medio crassa, ampla & multa, in circumferentia uerò subtilis, & rara, apparet uorago. Vorago. Si uerò fuerit parua, rara, & peruia in medio, densa autem seu opaca in circumferentia, apparet Hiatus, quasi parua cœli apertura. Hiatus. Et hoc modo secundum diuersitatem exhalationum, sursum latarum ex luminis incidentia, iam apparet color sanguineus, uel medius: purpureus, aut albus, siue puniceus.

De Cometis.

Cometa est materia calida & sicca, pinguis, uiscosa, terrestris, cuius partes sunt densæ, seu spissæ, uirtute corporum cœlestium sursum latæ usque ad supremam aeris regionem, ubi propter ignis uicinitatem, & materiæ habilitatem inflammatur, fertúrque circulariter, ad motum supremæ regionis aeris, quæ motu raptus ita mouetur: quem nostri aliquando stellam crinitam uocant, uel caudatam, aut barbatam, horrentem crine sanguineo, secundum quod dispargitur materia inflammata. Diu quandoque durat, propter materiæ continuò sursum latæ adiectionem. Hic dicitur esse pestilentiæ & bellorum signum, principum quoque obitum significare. nam Cometa. Stella crinita, caudata, barbata

Præsagia. *ubi cometæ porrexerint comas suas uel orientem uel occidentem uersus, isthic minantur futuros bellorum motus, & funera regum. Si uerò steterint, certóque loco uestigia fixerint, à finitimis bellum parari, mouerique indicant, cladémque populorum. Plures etiam cometæ uno eodémque tempore uisi sunt, & id quidem rarißimè.*

De galaxia. Tit. IIII.

Galaxia quid. *Galaxia est coma maximi circuli albi, in cœlo apparentis, propter segregationem subtilis exhalationis sursum latæ, quem alij ex multarum stellarum luminis emißione causari uolunt.*

LIBRI SECVNDI METEOrorum Epitome.

Meteora humida. *Libro, & eo quidem secũdo, de meteoris humidis, ex uapore calido & humido natis agitur: quorum sunt quinque, scilicet pluuia, ros, pruina, nix, grando. Quibus adiicitur fontium, fluuiorum, & marium generatio. & continetur hic liber secundus quinque titulis.*

De pluuia. Tit. I.

Pluuia. Imber. *Pluuia est nubes liquefacta, in aquam distillantem soluta. si cum impetu copiosior decidit, uocatur imber. est enim pluuia nihil aliud quàm uapor calidus & humidus, à corporibus humidis & aqueis, hic in terra existentibus, calore solis & aliorum astrorum ad mediam aeris regionem sublatus: ubi cogente gelu condensatur, liquatúrque uapor, abit in nubem, & nubes in aquam, ad ima guttatim ruentem super terram, propter animantium & terræ nascentium salutem. Existente itaque istic uapore plurimo, copiosa redditur pluuia: pauca, è contrario. Et talis uaporis in aquam mutatio facilè accipitur, hoc crasso exemplo. Nam cùm uapor, uel aer calidus & humidus, tangit corpus aliquod frigidum, abit mox*

Vaporis in aquã mutatio quomodo fiat.

antip

antiperistasi in aquam, ac defluit: quod cantharus frigidus in hypocaustum calidum delatus palàm indicat. Et hac de causa fenestræ uitreæ sudorem uidentur emittere, & generare pruinam.

De rore & pruina, & serenitatis ac pluuiæ signis. Tit. II.

Ros generatur, cum uirtute corporum cœlestium sursum fertur uapor subtilis, modicum caloris obtinens, non potest ideo multum ferri sursum subsidet ergo in infima aeris regione, ubi aduentu frigiditatis noctis soluitur in aquam, & demittitur ad ima, humectans sitientes herbas, atque reddit terram fœcundiorem. Si autem à locis putridis eleuatus, uapor in rorem, aut pruinam uersus, ceciderit, enecat aliquando animalia. Fitque frequenter tempore ueris, & matutino. nam & tunc est frigus intensius. Pruinæ autem generatio fit, quemadmodum & roris, adiecta maiore frigiditate noctis. Hic enim priusquam uapor in aquam uersus congelatur, abit in guttulas modicas, irriguásque, fertúrque ad ima, adhærens arboribus & pilis animalium, atque aliis rebus. Et fit hyeme, & autumno, magísque hybernis locis. & sunt plerunque signa serenitatis aeris, ob materiæ sursum latæ paucitatis consumptionem. Sunt præterea & alia complurima pluuiæ atque serenitatis signa: ut aurora rubens, quæ uespertino serenitatem significat: sol atque luna pallens, pluuiam. unde dici solet:

Roris generatio. *Tempus roris.* *Pruinæ generatio.* *Serenitatis atque pluuiæ signa.*

Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.

Ventorum item ab austro in aquilonem mutatio, pluuiæ futuræ signum est: roris matutinæ penuria, uaporum in aere frequentia, auium in aquis degentium uolatus, capita undis obiectantium, cœlestis arcus apparitio, garrula cornix, ranæ in limo querulæ, uirgarum & pareliorum freques apparitio,

ritio, & id genus alia.

De niue & grandine. Tit. III.

Niuis generatio.

Nix generatur ex uapore calido & humido, ad mediam usque aeris regionem lato, ubi uigore frigiditatis illic existẽtis, priusquam in humorem stillet, nubes concrescunt, gelidóque frigore congelatæ pariunt niuem, quæ ob sui grauitatem ruit deorsum, terrámque reddit fertilẽ. Et est nix alba quẽadmodum pruina, quoniam albescit omnis concretus aquarũ humor. Grãdinis autem cum niue, eædem sunt causæ, eadémque generatio, nisi quòd antiperistasis, quæ contrariorum circunstantia est, coit in eius generatione. in grandinis autem generatione materia uaporis est maior, quàm niuis, & uelocior mutatio, ubi constrictæ guttæ, rigido gelu cõpactæ concretæque in magnas parteis, deorsum demittuntur.

Grandinis cũ niue eadẽ generatio.

De fontium ac fluuiorum generatione. Tit. IIII.

Fontium & fluuiorum generatio.

Fontes generantur, & ex fontibus erumpũt fluuij, ex aere in altis speluncis sub ima tellure introcluso, in aquã liquato, continuò subeunte nouo aere. Signum est, quoniam ex magnis montibus magni fluuij atque stagna gigni in confesso est, quorum impetu, temporis diuturnitate, montes quoq; generantur, sicuti maximi in diluuio Noe geniti sunt.

Montium generatio.

De maris generatione, æstu, & causis salsedinis eiusdem. Tit. V.

Mare natura ingenerabile et incorruptibile.

Mare secundum sui naturam ingenerabile, & incorruptibile est, quamuis secundum partem generari ac corrumpi, & aquæ materiam naturámque occupare est possibile. nam totus mundus ingenerabilis est, & incorruptibilis, secundum se totum pariter, & secundũ omnes eius partes. Mare autem est pars mundi, & unum elementorum: & ergo secundum se totum est ingenerabile & incorruptibile. Est quo-

que loc

que locus aquæ naturaliter circundantis terram, cuius perpetuitas sumitur ex accessu aquarum in ipsum fluentium. Nec perpetuò seruat eundem locum. Compertum enim est, quod ubi nunc est mare, aliquando fuisse terram aridam, & e contrario. Aestus autem eius causam esse lunam, compertum habemus: ut quæ ipsum certis interuallis trahunt ad suam faciem, propemodum effugiat. Bis enim Gallicum mare, intra duos lunæ exortus, effluit, remeátque. Salsedo eius quodam adusto, terrestri admixto generatur, subtili calore solis exhalato.

Aestus maris vnde.

Causa salsedinis maris.

LIBRI TERTII METEOrorum Epitome.

TErtio hoc Meteororum libro, de residuis impreßionũ naturis, siue effectibus meteoris, quæ ex exhalatione calida & sicca, in aere atque terra gignuntur, disserere fas est. quæ sunt,

Venti	Typho
Terræ motus	Halon
Tonitruum	Iris
Coruscatio	Virgæ
Fulmen	Parelij
Ecnephiæ	Metallaria.

De ventis.

Ventus exhalatio est calida & sicca, lateraliter circa terram mota, quæ ob exhalationis grauitatem sursum ferri nequit, subsidet ergo, & transuersaliter fertur. Efficiens causa uentorum, sunt sol & astra. Materia, exhalatio calida & sicca, frigiditate mediæ regionis aeris deorsum propulsa. Finis est, facere aeris & aquæ commotionem, ne nimia quiete putrescant, & ne putredine sua animantia enecent. Quorum sunt quatuor primarij, magis qualitatibus suis ex diuersis dia

Ventorũ descriptio & generatio.

Ventorum numerus, contrarie-

tas, & qualitas. diametris spirantes, murmurantésque sunt contrarij, scilicet orientalis, qui spirat ab oriente, calidus & siccus, pluuias abscondens. Occidentalis, frigidus & humidus, pluuias adferẽs. Meridionalis, calidus & humidus, pluuias aduehens. Septentrionalis, frigidus & siccus, pluuias prohibens. Hoc modo de natura uentorum, scilicet secundum combinationem, quatuor qualitatum primarum, prout conferunt ad bonam corporis habitudinem, dictum sit satis. Sunt præterea Astrologorum autoritate duodecim uenti nam sunt duo ad decem principia terram mouentia & alterantia, halitum è terra elicientia scilicet 12. signa zodiaci circuli. ergo erunt duodecim uenti, non coincidentes, sed insigniter distincti ac distantes. qui breuiter his continentur uersibus.

Sunt Subsolanus, Vulturnus, Eurus, ab ortu.
Affricus occasum, Corus, Fauonius, afflant.
Aq; die medio Notus errat, & Affricus, Auster.
Sed ueniunt Aquilo, Boreas, & Circius, arcto.

Sunt præterea duo ac triginta uenti nautici, de quorum nominibus atque differentijs lege Methodum nostram priorem.

De terræ motu.

Motus terræ. Vera causa motus siue tremoris terræ est, exhalatio calida & sicca in uisceribus, seu cauis antris abdita, introclusáque, exitum petens uiolentum ad sua loca naturalia, rumpit terrã, causátque terræ motum uiolentum. *Terræ motus causæ.* Causa efficiens est sol & astra, & spiritus telluri inclusus: materia est, exhalatio calida & sicca. *Loca.* Finis est, petere sua loca naturalia. si plurimus istic fuerit halitus, magnos generat terræ motus: è contrario, minores. *Accidẽtia.* fitque frequenter circa maria, ubi tellus lato ponto est circundatus, ubi in locis cauernosis plurimus continetur halitus, qui quandoque inflãmatus incẽdit & euertit ciuitates,

atque

atque loca uicina. quandoque etiam erumpunt cineres non=nunquam & aqua. De his lege Pontanum.

De tonitruo, coruscatione, fulmine, ecnephijs, & typhonibus.

Tonitrus, siue tonitruum, est sonus factus in nubibus, ex uiolenta percußione exhalationis calidæ & siccæ ad latera nubis. Coruscatio est inflammatio exhalationis calidæ & siccæ, extrusæ eiaculatæq; à nube leuiter, quæ & fulguratio dicitur. Fulmen est ignis halitu accenso è nube expulso, coruscatione acrior. Tonitrui itaque, coruscationis & fulminis causæ efficientes sunt sol & astra, materia exhalatio, finis exhalationum toxicarum combustio, & salutis animantium conseruatio. Quorum generationes hæ sunt. Nam cum plurima exhalatio calida & sicca, sublata in auras cum uapore humido, ad mediam usque aeris portionem, cuius attactu uapores ob loci frigiditatem perpetuam, congelatæ abeunt in nubes: exhalationes uerò aggregantes uenientésque se ad medium nubis, ibique adauctæ, antiperistasi quoque munitæ, petentes exitum, errantes hinc illincque moti feriunt uiolenter latera nubis, ex qua percussura causatur sonus, dictus tonitruum. Vbi uerò exhalatio inflammatur, & emittitur à nube largius atque mitius, ac liberè, fulguratio dicitur. Si autem concepta flamma uiolenter detrusa eiaculatáque fuerit, fulmen est: ubi scilicet micant corusci è nubibus ignes, fulgétque igniferis fulgoribus æther, sic igitur coruscatio, & fulguratio, à fulmine perparum distant. Dicitur enim fulguratio, lux illa, & quasi uibratio luminis, quæ antè cernitur, quàm tonitruum audiatur, cum simul fieri certum sit. nec mirum est, quoniam lux sonitu longè est uelocior, & uisus semper anticipat auditum, quod ex lignorum sectione uideri solet. Fulmen præterea uariam

recipit

Tonitrui. *Coruscatio.* *Fulmen.* *Fulguratio.* *Fulminis natura.*

recipit naturam, seu effectũ scindit enim, findit, & urit, animaliaque tactu enecat quandoque: si uenenosum fuerit, dura adurit, rara penetrat. si uero sine flamma fuerit, uentus uiolentus, tumultuosus, ac procellosus generatur, qui Ecnephias dicitur, torquens nemora, ædificia deijciens, & æquora pulsans. Vbi uero una pars alteram insequendo impellit, hic spiritus Typhon appellatur, qui est uentus circularis, &c. Generatur insuper nonnunquam lapis in nube, cuneus fulminis dictus, tam ex materia uiscosa nubis, quàm exhalationis. coquitur enim in nube, quemadmodum later in fornace. qui uiolenter detrusus, scindit & findit, quicquid tangit:

Ecnephias. *Typhon.* *Cuneus fulminis.*

De Halone.

Halonis definitio, & cur circularis.

Halon est circulus albus, illuminatione uaporis sub aliquo astro causatus circulus, quoniam undique ab eodem ad idem existente nubis æqualitate, æqualiter radius frangitur, & causat circulum album, qui halon appellatur.

De Iride.

Iridis descriptio & generatio.

Iris est trium colorum apparitio, in nube rorida, soli aut lunæ opposita, seu obiecta, ordine quodam in semicirculari figura, cuius generatio hæc est. Nam cum ex opposita parte ad solem, nobis rorida defluit in guttas pluuia, quæ candentes reflectunt radios solares ad uisum nostrum: & quoniam illæ guttulæ paruæ sunt, figuram solis repræsentare nequeunt, colorem seu lucem tantum efficiunt: & quia illæ guttulæ densæ sunt, apparent quasi continuæ. & ideo iris continua, & non interrupta apparet, quia reflexio fit secundum naturam corporis reflectentis & secundum uarium reflectendi modum. & ideo in iride apparent diuersi colores, Est autem semicircularis, seu arcualis figuræ, quia omnes lineæ ductæ ab illo puncto, quod uocatur centrum Iridis, usque ad circumferentiam sunt æquales. Sed quia radius procedens

Iris cur cõtinua & arcualis figura.

dens à sole pertransit oculum uidentis, & sic consequenter porrigit sese ad umbram: & quia dirigitur circa superficiē terræ, tangit centrum nubis, & sic apparet medij circuli portio. Est igitur semicircularis figuræ, & est iris pluuiæ signū. nam & ipsa apparente actu pluit. *Iris pluuiæ signum.*

De virgis, ac parahelijs.

Virgæ sunt radij solares, diffusi per nubes & uapores humidos, à terra sursum latos. Parahelius uerò est nubes rorida, densa, continua, ad latus solis sita, repræsentans eius similitudinem, & figuram. nam nubis soli propinqua, & in aquā uersa, in qua sol fracto radio, ob debitam densitatem & continuitatem suam figit similitudinem, quemadmodum in ære polito, seu speculo, ad eius latus imago apparens, parahelius uocatur. Sunt autem & uirgæ & parahelij apparentes, pluuiæ signa, cæteris magis efficacia. *Virgæ. Parahelius quomodo generetur.* *Signa pluuiæ.*

De mineralibus, seu metallaribus.

Ex exhalatione calida & sicca in uisceribus terræ introclusa, actione corporum cœlestium generantur mineralia, dicta foßibilia, quorum tota natura est terrestris, magis habens exhalationis siccæ, igitur hæc foßibilia dicuntur. Generantur enim lapides, & gemmæ hoc modo. Nam cùm exhalatio est fumosa, & terrestris, non potens disrumpere terram, condensatur à frigiditate ipsius, & illi exhalationi commixto uapore, qui condensatione uersus in lutum, decoquitur, tale lutum à caliditate exhalationis calidæ & siccæ fit lapis. Ex uapore uerò seu spiritu calido & humido, terrestribus partibus commixtis, actione corporum cœlestium generātur metallaria. Nam exhalatio uaporosa multo tempore à frigiditate terræ decocta, constringitur, & generantur metalla fusibilia. Ex quo patet, quæ sit causa materialis mineralium omnium, & quæ efficiens; quæ est corporum cœlestium influentia, *Mineraliū seu metallarium generatio.* *Lapidū & gemmarū generatio.* *Causæ mineralium.*

fluentia, & præcipue planetarum. nam Saturno attribuitur plumbum, Ioui stannum, Marti ferrum, Soli aurum, Veneri cuprũ, Mercurio argentum uiuum, Lunæ argentum: de quibus Alchemistæ, quoniam species rerum permutare nõ possunt, ardua disputant. De his autem in genere dictum sit satis, quoniam speciatim de his agere, ad librum de Mineralibus spectat, quem tẽporis iniuria intercidisse aiunt: ad cuius perfectam notitiam habendam operationes qualitatum actiuarum & paßiuarum in mixtis existẽtium præcognoscere operæprecium est. De quibus Aristoteles in quarto Meteororũ libro abunde disserit; quem nos hic breuitati incumbentes, consultò omisimus, ut si quid hic desideraretur, illinc haberi posset. Ad reliqua igitur pergamus propositi.

Liber mineralium.

Meteororũ libro quarto quid agatur.

De Meteoris satis dictum sit. sequitur liber de Anima.

IN ARISTOTELIS DE ANIMA LIBROS,

Proloquium.

ARISTOTELES summus omnis peripateticæ ueritatis author & princeps, atque acerrimus iudex naturæque miraculum, auidus uniuersarum rerum naturalium consectator simul atque solertißimus indagator: is ut superioribus naturalis philosophiæ libris, rerum principia, uniuersique mundi machinam describendo, opus ab opifice conditum, audax & egregiũ facinus patratus est, multa aggredi ausus quæ supra homi

hominum captum assurgunt: ita & nunc in hoc libro, animæ naturam inuestigaturus, pro uiribus describit eius essentiam, potentias, & uires, in cunctis etiam animatis existentes. Eo factum est, ut nonnulli admiratione ducti, hunc diuini ingenij fœlicißimum hominem ob ingentem naturæ cõtemplationem, cuius secreta liquidißimè rimatus est, falso dæmoniacum fuisse accusarent, eo quòd ex dæmonum relatione permulta in Meteoris & in omni Physiologiæ naturæ abdita percũctatus sit, quæ tamen partim à receptißimis antiquißimorum philosophorum assertationibus, partim suopte ingenio (quemadmodum C. Plinius fecit) adinuenit: ea etiam admiratu digna, quæ profectò ab hominum oculis lõge sunt seposita, quæ quoque mortalium intellectui uisu sunt impoßibilia. hic enim ut summo studio rerum naturas uestigaret, septies in die admiratus, rerum naturalium causas secum librasse fertur, ita ut ex nimio literarum studio minus mente compos euaderet. eúmque animi morbum contraxisse ferunt, ex quo non conualuerit amplius: hincque causam mortis fuisse eius produnt autores celeberrimi. Adeò enim existimabat summam hominis beatitudinem uersari in recondita rerum scientia, qua nihil fœlicius ac beatius mortalibus contingere posse putabat. Quapropter hunc de Anima librum, potißimam naturalis philosophiæ partem, exactißimè, tantáque diligentia scrutare conatus est scripsítque, ut ex rerum naturalium cognitione ferè ad animi immortalitatem cognoscendam, diuino quodam intellectus lumine euectus sit: eámque animã post hanc miseram caducámque uitam, nos quoque aliam multóq; beatiorem quàm nunc agimus, uicturos, expectaturósque, & eam quidem immortalem, nullísque incommodis obnoxiam. quem eam ob causam complures in numerum beatorum referre (innixi argumentis suis) contendunt, propter eximiam

Aris. mors.

Aristotelẽ à multis

in numerū beatorum referri. miam & probam eius uitam, quam ipsum uixisse testantur egregie: quod nos quoque negare nequimus, eo quod de Pomo & morte libello, diuino quodam afflatus numine, dixisse fertur (ea enim eius extrema uera fuisse aiunt) O ens entium misereat te mei: quòd miseretur profectò omnium in se sperantium, Scriptura teste ait enim conclusisse deum omnia sub in- (Rom. 11. Gal. 3.) credulitatem, ut omnium misereretur.

Finis proloquij.

TRIVM ARISTOTELIS librorum de Anima Epitome.

TRes sunt de Anima, Aristotelis libri, in quibus de natura animæ, potentijs seu uiribus ac officijs eiusdem, secundum quod communis est omnibus animatis, agitur. Quorum primo naturam & qualitatem, seu animæ essentiam, iuxta antiquorum philosophorum opinationem enarrat, qui paucis duabus absoluitur partibus. Prima, partes proœmij agit: in qua huius scientiæ nobilitatem, utilitatem, & difficultatem, multis persuasionibus ostendit. dignitatem, quoniam est scientia quæ omnibus honorabilis est. nobilitatem, ob subiecti eius (quod est anima) cōsiderationem. difficultatem, ratione essentiæ & potentiarum seu paßionum eiusdem difficillimam inuestigationem, quam Aristoteles multis difficultatibus proponit: nec immeritò nam genus & differentias animæ proprias afferre est impoßibile. Nemo itaque ausit affectare, seu sperare, se posse substātiam animæ per imaginationem, nedum uerbis concipere. euehit enim super hominis captum. Est igitur quælibet animæ definitio, tantum quasi nominis expositio, cum reuera essentiam atque formam animæ (Animæ definitio.) naturalibus rationibus nequeamus assequi. A fine ergo & effectis & accidentibus tanquam à posteriori licet eam notificare. accidentia enim ad cognoscendum quod quid est,

non

non parum conferre uidentur. Secunda huius primi libri parte philosophus, quemadmodum in Physicis facere consueuit, ita & hic antiquorum naturæ interpretum de anima opiniones operose censet, confutátque. Multa enim semper controuersia fuit inter eruditos, ac præcipuos physicos, de substantia animæ: quam alij incorporeã & separabilem, immortalémque rectè dixerunt, alij corpoream ac inseparabilem, atque mortalem, unà cùm corpore nasci, & simul interire, ut in plantis & bestiis uidemus, censuerunt. quæ cõtrouersia uidetur orta partim ex quadam dissentiendi libidine, & peculiari quodam sapiendi ambitu: partim ex dißimilitudinis atque ambiguitatis modo, dum alius physicè, alius medicè, alius metaphoricè & figuratè loquitur, dum plerique etiam à solis effectibus substantiam animæ indicarunt: dum item alius de solo hominis rationali, alius de animantiũ anima, plantis suam abnegans: alius de toto spiritu illo loquitur, qui mouet & uegetat quodlibet animatum corpus, cuius animæ nobilißima pars animus dicitur, qua intelligit atque eligit: quarum opinionum Aristoteles 12 fuisse primarias testatur. Prima fuit Democriti & Leucippi, asseuerantium animam esse ignem & calorem quendam ex sphæricis atomis conflatum, hoc est spiritum insertum atomis. Secunda fuit quorundam Pythagoricorum, uirtutem atomorum esse motricem animã. Tertia Anaxagoræ, existimantis intellectum esse animam. Quarta Empedoclis, uolentis animam ex quatuor elementis, lite & amicitia constare. Quinta Platonis, in Timæo ponentis animam ex numeris & idæis compositam. Sexta Xenocratis, qui animam numerum seipsum mouentem esse dixit. Septima Thaletis Milesij, asserentis aliquod motiuum esse animum. Octaua Diogenis, dicentis animam esse aerem. Nona Heracliti, igneum uaporem fore animã. Decima Alcmeonis,

Animus.

m nis,

nis, dicentis animam esse immortalem. Vndecima Hipponis, animam esse aquam autumantis. Duodecima Critiæ, animam sanguinem esse sentientis, quæ his uersibus continentur:

Sic sunt ponentes animam primi sapientes,
Ignem Democritus, atomos Leu. Pythagorásque
Ponit. Anaxagoras intellectum, & elementa
Empedocles, Plato posuit numeros & idæas.
Et Thales animam memorabitur esse motiuam.
Aera Diogenes, Heraclitus esse uaporem.
Comparat Alcmæon hanc immortalibus. Hyppus
Dixit aquam, Critias animam dedit esse cruorem.
Summus Aristoteles hanc dicit corporis actum.

Finis primi libri de Anima, sequitur secundus: adiecta prius generali animæ typo, seu diuisione.

GENER

GENERALIS ANIMAE TYPVS, SEV DIVISIO.

Animæ potentiæ sunt, Potē-tia,

Potentia.			Obiectum.	Organum.	Operatio	Gra.vitæ
Vegetandi		Alendi	Alimentum species sensibilis	Totum corpus	Alitio	Vegetans
		Augendi			Auctio	
		Minuendi			Minutio	
		Generandi			Generatio	
Sentiendi	Exterior	Videndi	Color	Neruus opticus	Visio	Sentiens
		Audiendi	Sonus	Miringa	Auditio	
		Gustandi	Sapor	Lingua	Gustatio	
		Olfaciendi	Odor	Nares	Olfactio	
		Tangendi	Qualitates tactiles	Totum corpus	Tactio	
	Interior	Imaginādi	Sensibilia propria & communia	Anterior ventriculus	Imaginatio	
		Cogitandi	Phantasmata	Medius	Cogitatio	
		Memorādi		Postremus	Memoria	
Appetendi		Cupiditas	Bonū conueniens sensui	Iecur	Cupiditas	Appetēs
		Ira	Bonum arduum	Cor	Ira	
		Voluntas	Bonum { Honestum, Vtile, Delectabile }	Cerebrum	Voluntas	
Mouendi		Progrediendi	Bonum cōmodum consequendum	Musculi & nerui.	Progreßio	Mouens
		Volandi			Volatus	
		Nandi			Natatio	
		Serpendi			Serptio	
Intelligēdi		Componendi	Propositio intelligibilis affirmatiua	Cerebrum siue cor	Compositio	Intelligēs
		Diuidendi	Propositio negatiua in mente		Diuisio	
		Ratiocinandi	Argumentatio		Ratiocinatio	
		Contemplandi	Demonstratio necessariorum		Contēplatio	
		Similiter apprehendendi	Simplicis apprehensio.		Apprehēsio.	

LIBRI DE ANIMA SE-
cundi Epitome.

IN hoc secundo de Anima libro Aristoteles determinat de animæ natura, quid sit ipsa anima, quæ eius potentiæ siue uires sint, & hoc quidem secundum opinionē propriā & ueritatem: quem nos breuitati fauentes, in quinque diuisimus partes. Prima duas animæ definitiones, eius potentias, & uitæ gradus enarrabimus. Secunda de potentiis seu uiribus animæ uegetatiuæ agere constituimus. Tertia de potentiis animæ sensitiuæ externis disserturi sumus. Quarta de sensibus, seu potentiis animæ sensitiuis interioribus determinabimus. Quinta de potentia appetitiua & potentia motiua secundum locum tractabimus.

DE ANIMAE DEFINITIONIbus, eius potentiis, uitæ gradibus, ac animæ partibus: Pars prima quatuor continet capita.

De duabus animæ definitionibus. Cap. I.

Aristoteles inuestigaturus animæ naturam, quiditatem & essentiam eius, duas enumerat animæ definitiones, quarum prima est: Anima est actus primus, substantialis, corporis physici, organici, uitam habentis potentia. Est enim actus primus, hoc est forma substantialis, & essentia corporis animati, quæ dat primò esse corpori, cui insidet ipsum agens & mouens. & id quidem est uiuere. nam in uiuentibus, uiuere est esse. Et dicitur ἐντελέχεια, hoc est actus primus secundum essentiam, quia est planè forma substantialis, à qua procedunt actus secundi: scilicet uita & sensus cum suis potentiis & operationibus. nam Entelechia propriè significat actum, hoc est essentiam cuiusque rei, & formam adeò, secun-

Animæ definitio I.

Entelechia quid.

dum

dum quam, & ex cuius uiribus, corpus naturale quodlibet mouetur, & operationes suas exercet. Sequitur itaque quòd anima est substantia incorporea: sed tamen infusa corpori animato, & tanquam materia suæ formæ affixa, & non sicut nauta in naui. Dicitur corporis physici, hoc est naturalis, organici, habentis determinata organa, scilicet membra, per quæ anima exercet uitæ operationes: ut sunt cor, caput, cerebrum, hepar, stomachus, & id genus alia. Vitam habentis potentia, id est, posse exercere operationes uitales, per uim animæ secum habentis. Nam sicut se habet scientia ad considerare, ita se habet anima ad corporis uiuentis opera. sed habens scientiam, nunc considerat, nunc uero non habitum tamen habet: sic animam habens, nunc uigilat, cæterásque operationes exercet, nunc uerò minimé. est ergo anima, uitam habens potentia. Cæterùm cum hæc prima de anima definitio non est hominis tantum, & rationalis animæ, uerumetiam plantæ, animalísque animæ sensitiuæ, aut uegetatiuæ, & ideò communis uocatur, eò quòd de omnibus datur animantibus, & nulli propria est. Necesse ergo est dare aliam porrò peculiarem, secundũ diuersas particulas, cuilibet animæ conuenientem in specie. & ideo secunda animæ definitio est.

Quomodo anima in corpore.

Similitudo

Cur altera animæ definitio necessaria.

Anima est principium primum quo uiuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus. Est enim primus actus & principium uiuendi, sentiendi, appetendi, mouendi & intelligendi. Viuimus enim primò anima, secundò corpore. ergo est actus primus, & forma corporis animati: quemadmodum innuit prima de anima definitio. Hic nunc mox post dictas animæ definitiones, eiusdem diuisio in uegetatiuam, sensitiuam & intellectiuam locanda foret: sed ut postea facilius accipiantur dicenda, primùm gradus uitæ & genera potentiarum animæ absoluere curauimus.

Secunda animæ definitio.

De quatuor gradibus vitæ.

CAP. II.

Gradus vitæ:

De gradibus uitæ hic nobis incumbit determinatio. nam per hos ineſt cunctis uiuentibus uita, ſuo cuique ordine, ab omnium rerum conditore indita: qui gradus in ſecunda animæ definitione liquidò innuuntur. & ſunt numero quatuor, realiter ab inuicem diſtincti, ſcilicet: Vis

Vgetandi	qua reb. ineſt	Viuere, ut plantis.
Sentiendi		Sentire, ut animalibus imperfectis.
Mouendi ſecundum locum		Moueri, perfectis.
Intelligendi		Intelligere, hominibus.

Dicuntur gradus uitæ diſtincti, quoniam ſunt principia uiuendi ſeparata, quoniam uegetatiuum reperitur ſine ſenſitiuo, & ſenſitiuum ſine motiuo, & motiuũ ſine intellectiuo. ſed non è contrario, quia ſenſitiuum ſine uegetatiuo non comperitur, neque motiuum ſine ſenſitiuo, neque intellectiuum ſine motiuo. Senſitiuum tamen ſine motiuo reperitur in conchilibus & oſtreis, cæteriſque animalibus terræ affixis, quibus ineſt ſenſus, & non motus localis, nec eſt eis neceſſarius: quoniam habent nutrimentum ſibi coniunctum. mouẽtur tamen motu dilatationis & conſtrictionis. Et cùm huiuſmodi quatuor gradus uitæ comperiuntur in uno atque eodem uiuente, tum ſunt potentiæ, ſeu partes animæ. In diuerſis uerò compertæ, ſunt animæ diſtinctæ. Semper enim inferior graduum includitur in ſuperiori, ſicut trigonum in tetragono. Nam quemadmodum figura triangularis in quadrangulari, ita uegetatiuum in ſenſitiuo clauditur, & priores potentiæ in poſterioribus. Cuius ſimile eſt de fœtu imperfecto, in utero materno. Viuit enim embryo primo uita plãtæ, anima ſcilicet uegetatiua: ſubinde ſenſitiua, demum motiua: poſtremò

Quando gradus vitæ ſunt potentiæ animæ, et quãdo animæ.

Pulchra ſimilitudo de embryone.

anima

anima rationali ſuperueniente:cum ſcilicet perfectus fuerit hominis fœtus, uiuit anima intellectiua. ubi omnes dicti gradus uitæ ſunt in homine, rationalis animæ potentiæ, & non animæ diſtinctæ. Aliàs enim in eodem compoſito eſſent plures formæ ſubſtantiales, ſibi inuicem non ſuccedentes. Et ſic una res à pluribus formis ſubſtantialibus eſſet plures res, quod ad impoßibile euadere neceſſe eſt. & ideo diſtinguuntur in animalibus uegetatiuum & ſenſitiuum, ab intellectiuo: ſicut perpetuum à corruptibili.

De quinque generibus, ſeu viribus potentiarum animæ primariis.

CAP. III.

Potentiæ animæ ſunt, uires & operationes ab animabus profectæ, quarum ſunt quinque primariæ, ſcilicet Potentia *(Potentiæ animæ quid.)*

Potentia		Obiectum
Vegetatiua	Cuius obiectum eſt	Alimentum
Senſitiua		Senſibile
Appetitiua		Appetibile
Loco motiua		Inquiſibile
Intellectiua.		Intelligibile

Appetitiuum itaque licet ſit genus potentiæ animæ, non tamen eſt gradus ab aliis ſeiunctus, nunquam enim ſeparatur à ſenſitiuo: quare nullum efficit gradum. Nam quibuſcunque ineſt ſenſus alimenti, ſcilicet tactus, illis ineſt delectatio, & triſtitia, quæ ſine appetitu eſſe nequeunt. Nanque quatenus animalia tactum habent, eátenus etiam appetitum & motum habent. Quod enim non tangit, illud neque appetit, neque afficitur, neque mouetur. unde ſequitur, quòd ſtirpibus uis uegetandi ſola adeſt, animalibus omnibus uis ſentiendi, cui ſemper appetitiua coniuncta eſt. Quibuſdam præter has poten- *(Quomodò potētiæ ſeu vires ſint in animatis corporibus.)*

potẽtiæ seu vires sint in animatis corporibus.

tias uirtus mouendi adest, ut bipedibus & quadrupedibus omnibus. quibusdam intellectus & cæteræ animæ potentiæ insunt, homini uidelicet. Relinquitur *itaque notum, potentias animæ quibusdam animantibus inesse omnes, quibusdam plures, & aliquibus tantum unam.*

De tribus animarum generibus, partibus seu speciebus, & animæ potentijs omnibus.

Tres tantū animæ.

Cum anima sit principium in corpore animato effectiuum, quo primò uiuimus, sentimus, appetimus, loco mouemur, & intelligimus: quod secunda animæ definitione, & superioribus capitibus abunde satis explicauimus: sic scimus tantum tria esse animarum genera, seu animæ partes, siue species, de quibus in hoc secundo libro acturi sumus: non tamen ita, quasi anima sit diuisibilis in partes, quantitate mensurabiles: nec quasi species sint separatæ, aut inter sese disparatæ: uerùm ut uulgo utimur partis uel speciei nomine in accidẽtibus quoque incorporeis. Sunt ergo cõsensu communiori tres animæ species, quas suis locis definiemus, scilicet, Anima.

Vegetatiua		Vegetandi
Sensitiua	Ab officio	Sentiendi
Intellectiua		Ratiocinandi.

Vegetatiuam tantum habent plantæ. Sensitiua *complectens uegetatiuam, est in brutis: hoc est, in animalibus ratione carentibus.* Rationalis, *complectens uegetatiuam & sensitiuam, simul est in homine. atque ita homo non habet tres animas, sed unam tantum (ut antea diximus) uidelicet rationalem, fungentem officijs quoque sensitiuæ ac uegetatiuæ animæ.* Neque *brutum habet duas animas, sed unam*

unam tantum, scilicet sensitiuam, fungentem quoque officiis uegetatiuæ animæ. Plantis tantum unica inest anima, & simplex, scilicet uegetatiua, quia non sentiunt, nedum ratiocinantur. & ferè species animæ sic se habent, ut numeri, qui & per se queunt persistere, ut unum, duo, tria, quatuor: & in aliis queunt comprehendi, ut duæ monades in binario, tres monades in ternario: duo binarij in quaternario. sic in posteriore anima includitur prior, sic in nobiliori anima includitur ignobilior: quemadmodum superiori capite secundo, de gradibus simili exemplo significauimus. Concluditur itaque ex omnibus iam dictis, tria esse animarum genera, scilicet uegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum. quatuor gradus uitæ, uidelicet uegetatiuum, sensitiuum, motiuum & intellectiuũ. quinque genera potentiarum animæ, scilicet uegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, motiuum secundum locum, & intellectiuum. Dicuntur autẽ dictæ potentiæ animæ genera quoque, quoniam sub se multas habent species. Vegetatiuum tres scilicet, nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam. Sensitiuum, quod & apprehensiuum dicitur, eo quod species rerum sensibilium apprehendit, uel percipit præsentes tantum, diuiditur in quinque sensus exteriores: nempe in uisum, auditum olfactum gustum, & tactum. & in quatuor sensus interiores, uel potius in tres, ut alij uolunt, uidelicet in sensum communem, uirtutem imaginatiuam, cogitatiuam, & memoriam. Appetitiuum uerè complectitur sub se potentiam irascibilem, concupiscibilem, & uoluntatem. Anima autem rationalis quatenus est intellectiua, tres habet alias potentias, scilicet intellectum agentem, paßibilem, & uoluntatem. At illæ potentiæ actualiter manent, anima separata à corpore. Aliæ autem permanent uirtualiter & radicaliter. Vnde relinquitur notum, septem ac decem esse potentias, siue uires

Quare potentiæ animæ dicuntur genera, & quæ eius species.

Quinque sensus.

Animæ rationalis potentiæ.

animæ rationalis, corpore coniunctas, quarum anima in communi est primarium principium. Habes itaque hic breuem catalogum, & indicem eorum satis perspicuum, quæ nobis hoc libro, & sequenti tertio, compendiaria ratione sunt dicenda: ad quem ordinem obseruandum, suffragabitur tibi typus potentiarum animæ suprà scriptus, cuius tamen ordinem hic quoque obseruaturi sumus, ab anima uegetatiua & eius potentijs siue uiribus orsuri.

Typus potentiarum animæ.

De anima vegetatiua, eius potentijs, & operibus: Pars secunda.

In hac parte huius libri secunda, de anima uegetatiua, & eius potentijs siue uiribus agitur. & continet duo capita.

De descriptione animæ vegetatiuæ, & suarum potentiarum. CAP. I.

Anima vegetatiua.

Anima uegetatiua est, secundũ quam rebus inest uiuere, quoniam primarium principium uiuendi est ab ipsa anima uegetatiua. Nam anima uegetatiua est actus substantialis corporis organici physici, quoad ipsum nutritur, augetur, & generare potest. sicut anima plantæ est uis qua corpus nutritur, crescit, & seminalem genitalémque uim habet, ad propagandam suam speciem, quod in cunctis uiuentibus perfectis naturalißimum esse perhibetur. Per hoc enim uiuens iungitur suo principio, esse habens perpetuum, atque diuinũ, quod generatione acquiritur quodam modo, cum non idem numero, sed specie generatur. Generans autem semper est causa geniti. Consequens itaque est, quòd hæc anima uegetatiua tres habet potentias, siue uires, & tria opera ex natura rei distincta: scilicet, Potentiam

Animæ vegetatiuæ opera.

Nutritiuam	Cuius opus est	Nutrire
Augmentatiuam		Augmentare
Generatiuam		Generare

Quæ

Quæ sic describuntur. Potentia nutritiua est, quæ nata est saluare suum subiectum nutricatione. Est autem nutricatio, alimenti extrinsecus aduenientis in substantiam aliti corporis mutatio, per uim caloris naturalis, qua recuperat corpus quantum perdiderit. Estque alimentum cibus & potus, quatenus animatum fieri potest, nẽpe pars aliti corporis, propriæ potentiæ nutritiuæ obiectum. cui tribuuntur quatuor operationes, siue uirtutes: scilicet, attractio, retentio, digestio, & expulsio seu extrusio. de quibus tractare, ad medicos pertinet, quorum refert istiusmodi fusius tractare. Augmentatiua autem est potentia, prouehens suum subiectum ad debitam quantitatem sibi à natura institutam. Generatiua uerò est potentia, generans sibi simile, quale ipsum est in specie. Fit autem generatio ex propagato semine, quod superfluum est alimenti: sed de his satis ac super. Nunc ad animam sensitiuam, eiúsque potentias explanandas pergamus, operæprecium est. Potẽtia nutritiua. Nutricatio. Alimentũ. Augmentatiua potentia. Generatio.

DE ANIMA SENSITIVA, DEque eius potentijs, scilicet sensitiuis, seu de sensibus & sensibilibus: Pars tertia.

IN hac tertia huius secundi libri de Anima parte, de anima sensitiua, eiúsque potentijs seu uiribus sensitiuis, hoc est, de sensibus & sensilibus primum in genere, & de sensibus exterioribus in specie determinatur. Et ideo enarratur hæc pars tertia undecim capitibus.

Quid sit anima sensitiua, & quæ eius diuisio.

CAPVT I.

Anima sensitiua, est actus substantialis, corporis naturalis organici, quo idipsum uiuit, sentit, dijudicat, appetit spirat, & loco progreditur: quæ & uitalis cognominatur. Est enim spiritus uiuificans corpus, & cognoscens discernénsque Anima sensitiua.

mate

materialia sensibilia, & ea prosequens, ordinatus à primario membro, scilicet cerebro, ad specialia organa: ut anima in corpore equi, est ille actus, illa uis, qua equus uiuit, uidet, spirat, audit. Huius *autem animæ sensitiuæ obiectum in genere est qualitas sensibilis, quam* Dialectici *tertiam qualitatis speciem uocant, paßibilem qualitatem. organum uerò eiusdem in genere est membrum à quo principaliter emanant operationes sensibiles, quas medici uirtutes uitales uocant, in organa specialium sensuum. sicut ab epate principaliter emanant operationes uegetatiuæ, in organa specialia potentiæ uegetatiuæ, qualia sunt, os, stomachus, uenter, uenæ, intestina, & renes.* In *specie uerò sensitiua organa sunt, membra corporis recipientia speciem & motum, à qualitate sensibili, ut nerui, oculi, &c.* Nunc *autem ad animæ sensitiuæ diuisionem pergamus, quam plerique partiuntur in duas potentias, scilicet in potentiam apprehensiuam, quæ species rerum sensibilium apprehendit, & percipit præsentes, uel absentes (quia sensus recipit species rerum naturalium abstractas sine materia. sicut cera suscipit sigillum, uel imaginem, ab annulo abstractam, sine auro argentòue sibi cohærente) & potentiam motiuam, qua corpus animatum mouetur, uel motu externo, uel spiritu & impulsu interno.* De*inde subdiuidunt potentiam apprehensiuam in sensum exteriorem, cuius subijciuntur quinque species, scilicet tactus, uisus, auditus, gustus, & olfactus: & in sensum interiorem, cuius species secundum ueritatem sunt tres, uidelicet sensus communis, phantasia, & memoria.* Motiua *autem potentia rursus in duas diuiditur parteis, nempe in imperantem & prosequentem.* Et *imperans item partitur in cupiditatem & iram: cuius sunt duæ species, scilicet metus & dolor.* Sed *motiua prosequens rursum diuiditur in uitalem, quam propriè*

Organum.

Animæ sensitiuæ diuisio.

Motiuæ potentiæ diuisio.

proprie animalem uirtutem Medici uocant: huic ſubijcitur pulſus, & reſpiratio. & in progreßivam: huic ſubijcitur contractio, inceſſus, ſaltus, uolatus, reptatio. & operatiuam, de quibus quoque in fine huius libri capite ultimo dicturi ſumus. Hæc breuiter dicta ſint, ne ex ignotis agere uideamur.

De ſenſibus exterioribus. CAP. II.

Senſus exterior eſt potentia ſenſitiua, in animato corpore, quæ ſpecies rerum ſenſibilium præſentes non abſentes percipit extrinſecus (quorum ſunt quinque numero, ut dictum eſt) ſic uiſus ſpeciem albi, nigri, rubri, uaricoloris, non niſi præſentem, non abſentẽ oculis percipit. Sic auditus ſomni, non niſi præſentem, & ad aures pertingentem, non abſentem auribus percipit. Et ſic de alijs ſenſibus & ſenſilibus patet. Neceſſe eſt autem ad ſenſum, præcipuè exteriorem, concurrere obiectum & instrumentum, hoc eſt organum, & uim ſentiendi perfici: neque enim is uno tantum perficitur. Sic ergo ab oculo uidente obiectum, fit tandem uiſus. Eſt autem uiſus partim potentia actiua, quia cum obiecto ſuo ſenſionem facit: partim potentia paßiua, eo quòd ab obiecto feriatur & mouetur, ut à colore feritur uiſus: nam omnis ſenſus recipit ſpeciem ſenſibilis. Et quia recipere quidem pati eſt, ergo omnis ſenſus eſt uirtus paßiua, ad actum reducibilis per ſua obiecta. quia eſt natura obiecti potentiæ paßiuæ, reducere potentiam ad actum per ſui præſentiam, quoniam omne agens in agendo repatitur. Quare ſequitur, quòd omne excellens obiectum ſenſibile, corrumpit ſenſum: ut ab intuitu radiorum ſolarium corrumpitur uel debilitatur uiſus, quia obiectum nimis excellit ſenum. Sic & è contrario, obiectum nimis deficiens, mutat ſenſum: ut à uiſibili nimis tenui, hebetatur uiſus, debilitanturque oculi. ſic ab obiecto inconueniente & incommodo debilitatur ſenſus, ut candidus color nimis

mis

mis disp̄ergit uisum, atque ita hebetat eum: ut insuauis sonus obtundit aures, & grauis odor perturbat olfactum: ut distemperata qualitas offendit tactum. Ratio est, quia sensus necessariò habet esse in organo, habente determinatam proportionem in sua compositione. illam autem dissoluit excellens sensibile: organo autem dissoluto, sensus ut corrūpatur necesse est. De potentia uerò intellectiua secus se habet, cuius excellens intelligibile perficit intellectum, ut postea dicetur.

De diuisione sensibilis, seu obiecti sensuum exteriorum. CAP. III.

Sensibile triplex. Sensus est, alicuius obiecti sensibilis sensus. Est autem triplex sensibile. unum est sensibile per se proprium, quod tantum ab uno sensu percipi potest, & circa quod non contingit ipsum sensum errare seu decipi: ut color à uisu, sonus ab auditu, & sic de cæteris sensuum obiectis. Aliud est sensibile per se cōmune, quod à pluribus sensibus percipi queat: ut magnitudo à uisu & tactu, & talia sunt quinque, scilicet magnitudo, motus, quies, numerus & figura. Est quoque tertium sensibile, uidelicet per accidens, quod per se & uirtute propria non agit in potentiam seu sensum, nec mouet ipsam nisi per accidens, nempe per aliud quod sibi coniungitur: sicuti substantia particularis, quæ non recipitur nisi ratione coloris, ut hoc album est fabri filius. Dictum est, sensum non errare, nec decipi posse circa proprium sensibile: & id quidem uerū est, tribus obseruatis conditionibus. Prima est, quòd organum non sit male affectum: & eam ob causam febricitantes, ut uocant, habentes linguam partésque gulæ infectas amara cholera, non possunt ferre iudicium de saporibus. Secunda est, quòd sit aptitudo seu proportio medij: & ideo de coloribus nemo potest iudicare in tenebris. Tertia, quòd sit æqua distantia inter sensum & sensibile. ob id minus rectè iudicat

uisus

uiſus de ſtellarum quantitate, propter diſproportionem medij. Sed nunc de ſenſibus & ſenſilibus in genere dictum ſit ſatis. Dicamus igitur de quolibet ſenſu atque ſenſibili, & eius obiecto in ſpecie: à tactu, qui eſt omnium primus, auſpicaturi.

De tactu & tactili. CAP. IIII.

Cum ſenſus tactus ſit omnium ſenſuum primus, cunctis animalibus communis ac neceſſarius, etiam imperfectis, quo ſine alij ſenſus animali ineſſe nequeunt, neque animal dici animal, neque uiuere poſſe: per quem denique ea quæ dolent refugit, & quæ delectant proſequitur motu ſuo, ſi non locali, at ſaltem ſpiritali. Cùm ſit propriè is ſenſus ad nutrimentum & uegetationem animalibus neceſſarius, eo quòd ſine contactu neutrum poteſt operari. Rectè igitur tactus primo loco narratione proſequendus eſt, quid ſcilicet ſit, quod eius organum, medium, & obiectum. Eſt itaque tactus potentia ſenſitiua exterior, ordinata in neruis, expanſis per totum corpus, media cute & carne, ad apprehendendum qualitatē tactilem. Ex quo patet, obiectum ipſius tactus, eſſe qualitates tactiles primas, ſcilicet calidum, frigidum, humidum, & ſiccum. Aut ſecundas, ut aſperum, læue, aridum, lubricum, graue, leue, durum, molle, craſſum, ſubtile, & ſi quæ ſunt qualitates ſimiles. Inſtrumentum uerò, uel organum ipſius tactus, eſt neruus quidam multiplex, & ramoſus multis ſurculis, & capillatim quaſi per totum corpus, ſub carne & cute diſperſus & expanſus, tanquam rete quoddam. atque nerui maiuſculi, exigui, uel etiam ſua tenuitate excedentes uiſum, unà cum maiore neruo illo, ex cerebro tanquam à radice emanant molliuſculi. ſicque adeò totum ferè corpus, eſt inſtrumentum ipſius tactus. Caro autem uel cutis eſt medium inter tactile, & neruum tangentem eam. Cæterùm oſſa, pili, ungues, cornua, & ſimilia non ſentiunt tactum, neque qualitatem, Tactus.

quia

quia isti nerui tangentes non sunt per ea ducti, & sparsi. nam caro neruosa sentit solam qualitatem, atque etiam caro illa oßibus duris illisa offenditur. Sicut & cutis sentit qualitatem, non per se quidem, sed per neruos istos sibi partim mixtos, partim subiectos. Atque ita tactus est sensus, per omne corpus quasi diffusus. In animalibus uerò, quæ carent uel neruis, uel carne, aliud est organum tangens, isti neruo æquipollens. tametsi piscium quoque caro suis neruulis & uenis non careat omnino.

De visu, seu potentia visiua, organo medio, & eius obiecto.

CAPVT V.

Visus. Visus est sensus exterior, percipiens oculis species colorũ, & coloratorum, lucidorúmque corporum, ad cuius actum tria requiruntur necessariò, quemadmodum ad sensationem omnium sensuum: scilicet obiectum, organum & medium. & hæc hic tenere satis sit. Obiectum itaque uisus in genere, est uisibile. Visibile autem est, quod sensu uisus est perceptibile. & id propriè color est, qui est per se uisibilis: quia ex se species præbet, qua uideatur. Et non uidetur, nisi lumine extrinseco in aliquo corpore dēso, seu opaco terminato: licet sint quædam uisibilia, innominata, quæ non uidentur lumine extrinseco, & sub colore alieno, quæ in tenebris cient efficiúntque sensum, ut ignita, fungi, quorundam animalium cornua, piscium capita, squamæ, oculi, putres arborum trunci, carie sitúque marcidi. Organum autem uisus est oculus, ad quem protenditur colorum neruus opticus, hoc est uisiuus, bifurcatus à cerebro ad oculi pupillam, ubi uirtus uisibilis in neruo contentus, idolum siue formam ab humido crystallino, quod est in oculi pupilla: & defertur ad sensum communem, ubi sit iudicium & colorum discretio. Creauit itaque natura ut

ra ut plurimum in animalibus binos oculos, ut alter alterius defectum suppleat, & alter alterum adiuuet, quos tanquam speculatores sub fronte locauit natura propter animalium salutem. Mediū uerò ipsius uisus est perspicuū, seu diaphanes, ut liquidus & perspicuus aer uel aqua, aut gēma, uel uitrum, & similia perspicua: quod scilicet corpus perspicuum saltem in extremitate, qua coniunctum est colori, sit translucidum. in quo color à lumine excitatus, remittit ad speciem puram oculis offerendā. Nam radius uisiuus est lumen pyramidale, multiplicatum ab obiecto uisibili, præsertim lucido, continuata generatione luminis ad oculorum uisum. & ergo per radium uisiuum, species, idolū, & figura rei uisibilis peruenit ad uisum, cui offertur per medium perspicuum, cuius quidem radius basis est in re uisa, conus autem in oculo uidente, quod ex perspectiua cognitū habetur. Fit igitur uisus non extramittendo uirtutem uisiuam, ut quidam existimant: sed intus suscipiendo. Defertur enim coloris species ad medium diaphanum reflexum, ad organum uisus, in neruum opticum: ubi fit sensatio, quæ defertur ad sensum communem. Anatomiam & organi compositionem medicis relinquimus determinandam.

Quid color, quæ eius species, & unde causentur colores.

CAP. VI.

Color est extremitas perspicui, in corpore terminato. hoc est, color est, qualitas uisibilis in extremitate corporis opaci terminata, quæ perspicuū tangit, & beneficio luminis uidetur. Causatur enim color ex luminositate ignis & perspicuo aeris, & aquæ, atque ab opaco terræ, cooperantibus primis qualitatibus. mouet enim actu perspicuum. Coloris autem septem sunt species. duo enim sunt colores extremi, tanquam aliorum parentes, & quinque medij. Color.

Coloris species.

n Albus

Albus, Extremus.		
Violaceus	Medij	Naturam participantes extremorum.
Croceus		
Rubeus		
Purpureus		
Viridis		
Niger, Extremus.		

Colorũ generatio Quorum hæc est generatio. quoniam albus fit à luminis, frigiditatis, & coloris multitudine. Niger à luminis paucitate, & frigiditatis multitudine. Ruber fit ex commixtione albi & nigri. Violaceus, siue flauus, ex pluri albo, & pauciori rubeo. Croceus, ex pluri rubeo, & pauciori albo. Viridis ex pluri nigro, & rubeo pauciori. Purpureus, ex pluri rubeo, & pauciori nigro.

Quomodo ad videndum colores, requiritur medium & lumen.

CAP. VII.

Cum nihil uideri queat sine luce & lumine, necesse est in- *Lumen.* quirere quid sit lux, & lumen. Est igitur lumen qualitas uisibilis, quam corpus opacum recipit à lucido corpore per me- *Lux.* dium illuminatum. Lux autem est actus corporis lucidi, quatenus lucet. Et est hæc qualitas indita lucidis tantum corporibus statim à prima creatione, ex nulla elemẽtari mixtione. Nam simplicissi. quæque corpora sunt ferè lucidissima, ut sol, luna, stellæ, quæ sua natura lucẽt. Iam sequitur quod ad uidendum colores requiritur mediũ, & lumẽ: quod requiritur propter medium, & non propter ipsos colores. Nam illud quod nequit uideri nisi per medium actuatum, requirit medium & lumen: & talis est color. Quòd autem requiritur medium, patet quoniam sensibile positum supra sensum, non facit sen-

sat

ſationem. ſicuti ſi color ponatur ſuper oculum, uideri non poteſt. Requiritur ergo medium proportionatum. Aer itaque medium eſt trium ſenſuum propriè, ſcilicet uiſus, auditus, & olfactus. Neruus autem, ſeu cutis ſuperior medium exiſtit aliorum duorum ſenſuum.

De potentia auditiua, eius obiecto, medio & organo.

CAP. VIII.

Auditus eſt ſenſus exterior, auribus percipiens qualitatem ex aëris commotione prouenientem, ſcilicet ſonum, medio aëre uel aqua. Vel auditus eſt potentia, id eſt uis ſenſitiua, ordinata, in neruo expanſo ad aures, à cerebro: apprehendens formam ſoni, aduenientis ſibi ex commotione aëris, qui colliditur inter corpus percutiens, & percuſſum. Vtraque hæc definitio innuit, quòd ipſius auditus obiectum eſt ſonus, medium aer uel aqua. Organum eſt auris, foris patula, intus autem tortuoſa, & flexuoſa, ne facile elabatur ſonus. & in imo auris eſt pellicula quædam ſupra os extenſa, poroſum & ſiccum, uocata Miringa, uel auris tympanum, connaturali aere repleta. & ſicut folliculus, tranſmittens aerem ſonorum per neruum, ad ſenſum communem, qui neruus mollior bifurcatim quaſi à cerebro ad ambas aures diſcinditur, quaſi duobus ramis, per quem neruum bifurcatum auditiui ſpiritus percipit ſonum, extrinſecus receptum. Nam aer connaturalis auri complantatus, continuus eſt aeri exteriori, qui motus agit interiorem, & neruum continuantem ſonum ad organum. Debet autem aer ille connaturalis eſſe inſonabilis, hoc eſt expers omnis ſoni, ut omnes ſoni differentias ſeu ſpecies percipere queat, quæ ſunt

Auditus. Miringa.

Soni species seu differentiæ 7.
- Acutus
- Clarus
- Dulcis
- Suauis
- Circunflexus
- Raucus
- Grauis.

De sono, & eius generatione.

CAP. IX.

Sonus — Sonus obiectum auditus nihil aliud existit, quàm aër motus, organo auditus orbiculariter obiectus, quoad omnem positionis differentiam percipi queat. Est enim qualitas auditu perceptibilis, ex collisione uel scißione aëris inter bina corpora prouenients. Ad cuius generationem tria requiruntur, quæ sunt, corpus percutiens, percussum, & mediũ actuatum. Percußio enim edit sonum: quorum alius est uox, alius non uox. Sonus uox, fit ab ore animalis, cum alicuius significationis imagine: cuius organum est uocalis arteria, à qua per illam inspiratur aër, & restringitur. Sonus autem non uox, fit ex collisione duorum corporum extremorum, ueluti fragor arborum, strepitus pedum, & id genus alia. Ad cuius perfectionem requiritur, quod corpora sint dura, leuia, & concaua. leuia ut æqualiter diuidere queant. concaua, ut aër sonans subitò effundatur: ut in tintinabulo, quod campanam uocant, manifestum est. Sæpe tamen aer uice percußi corporis, simul & medij collisi, aut scißi fungitur, ut in sono flagri, uirgæue, & in ruptura panni: ubi duæ aeris partes se mutuò collidentes sunt causa soni quia propter rupturam panni, aliámue corporis scißionem, subitò subintrat aer ad replendum locum eum, quem antea opplebat pannus, uel corpus integrum, ex

Soni diuisio

quo

quo motu ſubeuntis aeris partes ſe inuicem collidunt, ex qua colliſione generatur ſonus. Fit ergo ſonus percuſsione uel ſciſsione corporum, moto aere. Eſt & alia ſoni ſpecies, quæ Echo dicitur. hic eſt ſonus quidam ſecundarius, cauſatus ex aere moto: cum primario ſono editus, per repercuſsionem alicuius obſtaculi, per quod reuerberatur ſeu flectitur, cauſatúrque ſonus priori ſimilis, Echo dictus: qui ſemper redditur cum ſono principali, quamuis non ſemper audiatur. Fit enim ſemper reditus, ſeu aeris moti reuerberatio, cum ſono primario, ſcilicet cum à ſolidis, concauis, & planis exceptus refringitur ſonus. Conſequens eſt, quod uox ſolius animalis eſt, etſi non omnium. Nam animalia ſanguine carentia, uocem non formant: ut cancri, oſtreæ, apes, formicæ, & id genus alia. nec omnia animalia ſanguinem habentia formant uocem, ſed ea tantum quæ habent calidum ſanguinem. Cuius ratio eſt, quia uox generatur per attractionē & reſpirationem aeris. Sed animalia non habentia calidum ſanguinem circa cor, non attrahunt, neque reſpirant aerem: ergo non edunt uocem, nam circa cor, locus primus.

Echo.

Vox ſolius animalis, non autem omnis.

De potentia guſtatiua.

CAP. X.

Guſtus eſt potentia ſenſitiua exterior, apprehendens ſapores per linguam, medio humido ſaliuoſo. cuius organum eſt lingua, cum ſuo guſtante neruo, ut mox patebit. Medium eſt ſaliuoſus humor, uel ſuperior linguæ pars, ut alij uolunt. Obiectum uero eſt ſapor, qui eſt qualitas guſtabilis, ex humido digeſto in ſicco terreſtri, per calorē ſolis, uel qualēcunq;. Diuerſo autem modo concoquitur ille humor, & miſcetur ſicco: quare etiam diuerſi ſunt ſaporis ſpecies ſcilicet,

Guſtus.

Dulcis	Insipidus
Pinguis	Stipticus
Ponticus	Vnctuosus
Acris	Insuauis
Acetosus	Asper
Salsus	Durus
Amarus	Mollis

Et si qui similes sunt, de quibus consule medicos & delicatos Epicuros. Organum gustus, ut diximus, est lingua & neruus à cerebro descendens, quasi ramose, instárque rete expensus super carne linguæ porosæ, quæ imbuta humore saliuoso, percipit species saporum, atque per eum neruum transmittit ad cerebrum. Est autem hic sensus gustus apprime ad uim nutritiuam & ad uoluptatem deliciásque necessarius, tactuíque admodum affinis: quia gustus quidem tactus est, quem homo certißimum habet, quo euincimus & superamus omnia animalia. hinc fit, quòd homo omnium animalium prudentißimum habetur. Attactu enim mentis aptitudo & ineptitudo deprehenditur. Duros enim carne, mente hebetes & ineptos: molles uerò carne, bene aptos esse dicimus. Sunt tamen gustus & tactus distincti sensus, quia habent distincta obiecta, & organa distincta.

De potentia olfactiua.

CAP. XI.

Tametsi Aristoteles referat, de odore atque odorabili determinare non esse facile, eo quòd olfactum habeamus perdebilem, quare hominem multis animalibus, ut canibus & uulturibus, hoc sensu inferiorem esse dicit, cum homo non nisi delectatione aut fastidio odorum differentias percipiat, ob organi intemperantiam, frigiditatémque, quòd in uisu & auditu minimè accidere uidemus: attamen nos eam difficulta-

tem,

tem, si qua dici debeat, olfactus definitione diluimus, quæ talis est. Olfactus est sensus exterior, apprehendens odorem naribus medio aëre uel aqua. Vel olfactus est potentia sensitiua, ordinata in duabus carunculis, per nares superiores à cerebro, ad apprehendendum odorem, quem affert aer attractus. Obiectum olfactus odor est, qui est qualitas odorabilis ex sicco concocto, per uim caloris in humido. uel, Odor est fumus per calorem resolutus in re odorifera. cum enim siccum terrestre coniunctum ui caloris in humido digeritur, tunc odor nascitur, quem aer naribus ingerit, in respiratione aßidua: ut poma, sicco terrestri decocto, demum fiunt odorifera. & quia diuerso modo & inæqualiter siccum decoquit ea, miscetur siccum cum humido: hinc fiunt diuersæ odorum species, quorum uocabula sumuntur à similitudine saporum, uel ab obiectis. ut,

Odor:
- Dulcis
- Vnctuosus
- Acetosus
- Grauis
- Fœtidus
- Acris
- Putridus

Et si quæ aliæ species sunt, illæ referuntur ad superiores. Organum olfactus est sub cerebro, proximè supra nasum, in iunctura frontis & nasi, ubi sunt duæ carunculæ cauæ, porosæ, sicut anteriores mamillæ: quæ cooperiuntur pellicula recipiente & remittente aerem odoriferum, aßidua respiratione, instar follis. Est autem olfactus omnium sensuum minus necessarius, adeò ut multa animalia careant eo. Seruit tamen peculiariter ad sanitatem conseruandam. sentit enim

& tangit ſubtilißimè aerem corruptum, quem homo ſentiens refugere poteſt. Hi ergo ſunt quinque exteriores ſenſus, per quos interiores ſuſcipiunt ipſas ſpecies qualitatum paßibilium, id eſt ſenſibilium, per quos item ſenſus uoluptas aut dolor, animo uel corpori quæritur; quorum tactus & guſtus ſunt maximè communes homini cum beſtijs, ad uoluptatem uel dolorem. reliqui tres ſunt homini peculiares, utpote uiſus & auditus, ad doctrinam conſequendam: olfactus uerò, ad ſanitatem conſeruandam.

Dictorum epilogus.

Ad cognitionem cuiuſlibet potentiæ ſenſitiuæ exterioris tria ſunt requiſita, organum, medium, & obiecta.

Organum itaque

Organum		Medium		Obiectum
Viſus, eſt oculus ſeu neruus opticus ad cerebrum terminatus. Auditus, eſt auris ſeu miringa in aure. Olfactus, ſunt duæ papillæ in naribus contentæ.	Medium	Aër / Aqua	Obiectum	Color / Sonus / Odor
Guſtus, eſt inferior pars linguæ, & gulæ parteis. Tactus, eſt rete ſub cute per totum corpus extenſum.	Medium	Neruus, uel ſuperior pars linguæ. Neruus, ſub carne, uel cute totius corporis ſuperior.	Obiectum	Sapor / Qualitates quatuor tactiles.

DE

DD POTENTIIS SENSITIVIS interioribus. Huius secundi libri pars quarta, septem continetur capitibus.

Quid sensus interior, & quot numero sint.

CAP. I.

SEnsus interior, est potentia sensitiua in animato corpore, quæ species rerum sensibilium non solum præsentes, uerùm & absentes percipit, dijudicat, discernit, comparat, & diutius conseruat. Sic per memoriā, canis conseruat speciem eius hominis, à quo semel atque iterum percussus est: sic quoque per phantasiam canis hero suo adulatur, ignotum uerò adlatrat. Ita multo nobilior est sensus interior exteriore, tametsi absque hoc nihil admodum poßit sentire internus sensus. Quia sicut fenestra immittit lumen solis aut lunæ in habitaculum alioqui caliginosum & opacum: sic exteriores sensus per sua organa immitunt species qualitatum sensibilium, & idola, ad sensum communem, & reliquos interiores. in quibus tametsi plerique in horum numero uariant, atque etiam ut posterius dicturi sumus, superstitiosi sunt: attamen simpliciter dico, tres omnes esse sensus interiores, scilicet sensum communem, phantasiam, & memoriam: qui homini cum bestijs sunt communes. intellectus uerò soli homini proprius est, & is quidem à sola anima intellectiua proficiscitur: de quo in sequenti tertio libro, Christo auspice, pro uiribus commentabimur.

De sensu communi, eius obiecto, & organo.

CAP. II.

Sensus communis est potentia sensitiua interior, apprehendens sibi transmissas species sensibilium, quæ obiectæ sunt sensibus particularibus, id est exterioribus, eásque phantasiæ offert. Obiectum uerò ipsius, est quælibet paßibilis & sensi- *Sensus cōmunis.*

 bilis

bilis qualitas, nẽpe qualitas tactilis, color, sonus, sapor, odor. quarum qualitatum species abstractæ & multiplicatæ, transmittuntur per sensus exteriores, uelut per fistulas aut canales, ad cerebrum, cui insidet sensus communis. Organum huius sensus communis est anterior cerebri uentriculus: cui cerebro medici tres cellulas, aut uentriculos siue pelliculas capaces tribuunt. qui uentriculus anterior plus humiditatis habet, aptus est ad recipiendas quasubet species, sicut ceræ molliori facilius imprimuntur formæ. Tametsi Aristotele teste, spiritus quoque uitales à corde progreßi, adiuuãt sensuũ exteriorum & interiorum organa, à cerebro deriuata. Est itaque sensus communis origo & radix omnium sensuum, particularium & exteriorum à cuius organi centro omnes nerui illi sensitiui progrediuntur, ac inde per sua corporis membra & organa disperguntur à cerebro, instar retis expansi: qualis est neruus tactilis, opticus, auditiuus, gustabilis, olfactiuus. Sunt præterea sensus communis tria officia, uel operationes, siue actus. Primum officium est, cognoscere & discernere actus & operationes sensuum exteriorum, hoc est, sentire & iudicare utrunque, quod caro tangit, oculus uidet, &c. Item deprehendere cessationem eorum, hoc est sentire quod oculus non uidet, auris non audit, &c. Secundum officium est, discernere & dijudicare obiecta exteriorum sensuum, præsentia uel absentia quantum inter se conueniant, aut dissentiant, ut percipiatur hoc esse calidum, illud frigidum, illud dulce, illud album, hoc sonorum non esse nigrum, hoc gustabile non esse sonorum. Sic ergo planißimũ est, quod medici dicunt, sensum communem esse eum qui tangit, uidet, gustat, audit & olfacit. atque hinc etiam nomen habere, quòd is communiter sensuum exteriorum officio fungitur. Tertium officium est, cognoscere & dijudicare propriè sensibilia cõmunia,

Sensus cõmunis.

munia, quæ sunt septem, ut antè diximus, scilicet magnitudo, corpus, numerus, motus, tempus, locus, figura. hæc enim propriè cognoscit ille, & dijudicat: quæ tactus atq; uisus non nisi impropriè, medijs qualitatibus, aut coloribus apprehendit.

Quid sit phantasia.

CAP. III.

Phantasia est potentia interior, sibi imprimens altius species sensibilium, præsentium ac absentium, atque ex his similes species sensibiles, aut intentiones, conceptúsque eliciens. sic ouis lupo uiso, elicit conceptum inimicitiæ. sic canis baculo uiso, elicit conceptum percußionis. sic equus audito claßico, elicit conceptum prælij. Huius itaque phantasiæ obiectum, est sensibile per se sensatum in communi, in quantum comprehendit, cognoscit, discernit, reseruat, & speciem cum specie componit. Organũ uerò eius est medius uentriculus cerebri, paulo siccior interiore, ut species receptas à sensu cõmuni per neruos diutius retineat, sicut cera siccata durabilius retinet formas impressas. Habet autẽ phantasia circiter quinque officia, quorum primum est, species sibi à sensu communi oblatas imprimere altius, in absentia quoque obiecti. Secundum officium est, discernere & dijudicare substantiam particularem & singularem, & quodque singulare. Tertium est, discernere & dijudicare certius atque exactius à sensu communi incognita. Quartum, elicere ex specie sibi obiecta, aliam similem, aut dißimilem speciem, sensu exteriore quoque perceptibilem. ut uidens leonem pictum, concipit speciem eius, & gestum ac impetum. Vel etiam potest concipere uarias & monstruosas quoque species, ac imagines, quarum similes sensui exteriori uix unquam offerunt: ut concipere centaurũ, ex homine & equo conflatum: uel minotaurum, chimæram, uel montem aureum. Et hoc quartum officium

Phantasia.

ficium, speciem cum specie componere & comparare dicunt. Quintum est, elicere ex specie sensibili imaginarium conceptum, hoc est intentionem. Est autem intentio, species rei non corporeæ, neque sensu exteriore perceptæ, sed tantum imaginatione. sicut ouis uiso lupo concipit inimicitias, quas natiuas lupi cum ouibus exercent: atque inimicitia est insensibilis species exteriori sensu.

De memoria & reminiscentia.

CAP. IIII.

Memoria. *Memoria est potentia sensitiua interior, quæ species rerum sensibilium, ab alijs sensibus interioribus receptat, & reseruat. Cuius obiectum est sensibile, per se sensatum, ut conseruabile. Conseruat enim species, quas concipit uirtus imaginatiua, scilicet phantasia. Organum memoriæ est posterior cerebri uentriculus, scilicet sincipitis. Secus autem definitur memoria, in libello de Memoria & reminiscentia, cum inquit: Memoria est habitus & paßio, de prius sensatis, cum factum fuerit tempus. sed non capitur istic propriè, sed pro operatione. Et dicitur memoria habitus, cum fuerit permanens: & paßio, cum fuerit transiens. & memoria hoc modo accepta non est præsentium, quia illorum est sensus exterior: nec futurorum, sed solum præteritorum. ratio est, quia nemo dicit se memorari, quæ coràm uidet, aut uidebit, sed eorum quæ antehac uidit, audiuitque. Reminiscentia autem distat à memoria: quia memoria respicit speciem rei, per quam rursus cognoscit rem: sed reminiscentia amittit speciem, & cum intelligit rem aliquam, reinuenit rei speciem. Et ideo definitur, quòd sit resumptio sensus, uel memoriæ: hoc est, actus sentiendi, uel consiliandi. Hinc est quod bene memoratiui sunt difficulter reminiscitiui: & contrà.*

De

De somno, vigilia, & insomnijs.

CAP. V.

Cum ipsius sensus communis atque exterior affectus sit somnus & uigilia, rectè ergo sensibus hæc materia subnectitur. Est itaque somnus, impotentia & cessatio sensuū propter fatigationē uigilandi, à calore & fumis craßis orta intrinsecus. & ideo refert Philosophus in libello de Somno & uigilia, quòd sit immobilitas sensus communis, seu paßio primi sensitiui. Est enim reciprocatio caloris naturalis ad interiora corporis, propter uapores condensatos circa cerebrum, obstruens meatus spirituum sensitiuorum, ob salutem animalium. Igitur uigilia est reuersio caloris naturalis ad externa corporis membra, consumptis ac digestis uaporibus obstruentibus meatus spirituum sensitiuorum. Necesse enim est, omne animal quandoque dormire, & quandoque uigilare. nam omne animal habet sensum: & cuicunque conuenit sensus, illi quoque competit illius immobilitas seu ligatio, quæ dicitur somnus. Oportet enim sensus, & quodlibet animal, quandoq; a sensuum operationibus quiescere. quapropter oportet omne animal quandoque uigilare, quandoque uerò capescere somnum. Habent enim somnus & uigilia fieri circa idem subiectum. sunt enim contraria. Somnium autem est phantasma aliquod in somno apparens, à motu inexistentium seruatorumque simulachrorum in somno facta apparitio. Est enim quædam apparitio, facta in sensu interiori, à speciebus die reseruatis in animali simpliciter dormiente. Est illusio, quam patimur in somno, de quorum diuinatione ad alium spectat librum. non enim est intentio nostra, de hisce rebus hoc loco pluribus agere.

Somnus quid.

Vigilia.

Somnium.

Quæ

Quæ ſit de numero ſenſuum interiorum apud physiologos diſſentio.

CAP. VI.

De numero ſenſuum interiorum apud pleróſque ſuperſtitioſa ſemper fuit diſceptatio: & adhuc quidem ſub iudice lis eſt, quis illorum melius dixerit. Alij enim quatuor ſenſus interiores eſſe aſſeuerant: ſcilicet ſenſum communem, imaginatiuam ſiue æſtimatiuam, cogitatiuam, & memoriam. Alij ſuperaddunt quintum phantaſiam, quæ ueré cùm imaginatiua atque cogitatiua ſeu æſtimatiua idem exiſtit. Facile itaq; tollitur coniuratorum inter ſe, ſuis opinationibus obſtinata hæc controuerſia. uolunt enim primi tot eſſe ſenſus interiores, quot ſunt illorum organa, obiecta, & operationes ſiue actus. Ergo erũt quatuor ſenſus interiores. nam ſecundum eorundem opinionem, Organum

*

Senſus

Sensus cõmunis est in anteriori capitis parte, supra dextrũ oculum in primo cerebri uentriculo situm.	Cuius obiectũ est	Sensibile per se sensatum in cõmuni, cuius actus est cognoscere, apprehẽdere, & differẽtias inter sensibilia sensuũ exteriorum ponere.
Imaginatiuæ uirtutis, siue æstimatiuæ, est supra sinistrum oculum in secunda cerebri cellula locatum.		Sensibile, per se sensatum in cõmuni, in quantum reseruabile, cuius actus sunt apprehẽdere, cognoscere, speciésq; rerum sensibilium componere, & diuidere.
Cogitatiuæ, est in superiori interioriq; capitis, siue cerebri uentriculo situatũ, seu locatum.		Est sensibile per se sensatum, siue per accidens, cuius actus est præter dicta, elicere speciem non sensatam, ex specie sensata. & componere intentionem cum ipsa specie.
Memoratiuæ uirtutis, est in interna posterioris capitis seu parte cerebri, scilicet sincipitis situm.		Est sensibile per se sensatum, ut conseruabile. cuius actus seu operatio est conseruare intentiones, quas elicit uirtus ipsa cogitatiua.

Consequens est, quòd ea quæ cognoscit sensus communis per species sensibiles sensuum exteriorum, altius reseruat uirtus imaginatiua: & ea quæ cognoscit uirtus cogitatiua, reseruat uirtus memoratiua. Est autẽ species sensibilis, similitudo rei sensatæ, relicta in sensibus extremis, quæ similitudo *Species sensibilis quid.*

seu

seu species, siue imago, aut conceptus immaterialis uel spiritalis, ulterius facit nouam similitudinem siue speciem in sensu communi, & subinde in alijs sensibus interioribus. Alij autem qui adijciunt dictis quatuor sensibus interioribus quintū sensum interaneum, nēpe phantasiam, eo quòd habet distinctum actum seu operationem ab alijs sensibus internis, quæ est diuidere & cōponere res imaginatas. Ego autem dico, phantasiā ab imaginatiua & cogitatiua non esse realiter distinctam & ideo definitur ab Aristotele, quòd sit motus factus à sensu in communi sentiendi potestate: hoc est in sensu communi, siue interiori. extendit enim se hic sensus & operatio eius ad omnes sensus interieriores. Sunt nanque phantasiæ, imagines rerum animo insidētes, quæ omnibus sensibus interioribus sunt cōmunes. & ideo uirtus imaginatiua & cogitatiua cum phantasia idem sunt, ut dictū est. Vnde sequitur, tantū tres esse sensus interiores secundum ueritatē, quod ab initio diximus: scilicet sensum communem, phantasiam, & memoriam, qui homini cum bestijs sunt communes. Et ideo illi tres sensus interiores solummodo definiuntur ab Aristotele, & non alij.

Phantasia quid.

DE POTENTIA ANIMAE APPETITIUÆ, & potentia loco motiua pars quinta & vltima.

Hac quinta & ultima huius libri parte, de potentia animæ appetitiuæ, & potentia loco motiua differendi, exigit ordo: licet Aristoteles in tertium librum sequentem differat earundem determinationem, quam hic paucis absoluturi sumus (eo quod de anima sensitiua, parte tertia, capite primo in summa loquuti sumus) diuidentes hanc partem quintam in duo capita sequentia.

De vi seu potentia appetitiua.

CAP. I.

Ex su

Ex superius dictis cõstat, duplicem esse animæ uim: unam scilicet apprehensiuam, cuius sunt sensus exteriores & interiores. Alteram uerò motiuã, cuius sunt apetitus, hoc est motus animales, perturbationes seu motus animorum, hoc est affectus sequentes sensum: & hæc uocatur uis appetitiua. Sunt item motiuæ potentiæ alij motus, uel sequentes appetitũ. Item animales, & hæc uocatur uis prosecutiua: uel nullum appetitum sequentes, ut uitales motus, & hæc uocatur uis aut motus spiritalis. Est itaque appetitiua potentia, seu facultas, inclinatio siue impulsus in eam rem, quam uel sensus, uel intellectus ut bonum prosequendam, aut malum fugiendam approbarit. sic canis speciem carnis oculis uisam, & cognitam imaginatione spe sequitur & inhiat, fustem autem metu auersatur. Et diuiditur hæc potentia siue uis animæ appetitiuæ, in concupiscibilem, irascibilem, & uoluntatem. Concupiscibilis est appetitio eorum quæ delectant, & hæc est communis omnibus animalibus, cuius obiectum est bonum conueniens sensui. Organum siue instrumentum est iecur, seu hepar. Irascibilis ab ira dictus, quæ est ulciscendi de iniuria illata ratio, siue fuerit uera, siue apparens. Obiectũ eius est, bonũ arduũ: organum cor. Ex his itaque duabus quæ sensitiuæ uocantur appetitiones, propriè oriuntur affectus, qui sunt motus uehementiores, quorum genera sunt quatuor, scilicet delectatio, spes, dolor, metus. Delectatio fit, quando sensus utitur conuenienti obiecto. Spes fit, quando imaginatio ostendit aliquod futurum bonum. Dolor, quando præsens est sensui obiectum non conueniens, sed corrumpens naturam. Metus fit, quando imaginatio ostendit obiectum disconueniens. Voluntas autem appetitiua, est eorum quæ rationis iudicio, hoc est, deliberatione & consilio, semel recepta & probata sunt. Hinc intellectualis appetitio uocatur. Nam ut cupiditas & ira

uoluntas intellectui coniuncta est. cuius obiectum est bonum, honestum, utile, iucundum. Organum, siue instrumentum est cerebrum.

De potentia animæ motiua locali, & speciebus eius.

CAP. II.

Potentia loca motiua, seu migrandi uis, est quæ ab ea re quæ expeti aut declinari nata sit, imaginatione gignitur. Cuius species sunt, uis gradiendi, uolandi, nandi, reptandi. Harũ uirium actio, est mutatio loci. ad cuius perfectionem duo cõcurrunt, scilicet obiectum, & est id ipsum quod appetitur bonum siue commodum consequendum, & euitandum incommodum. Subiectũ siue organum, sunt ipsi musculi, uel ea quæ his proportionantur. Sequitur itaque primò, quod duæ sunt potentiæ localiter motiuæ: scilicet appetitus & intellectus, cum phantasia; quæ sub intellectu continetur. nam omnia animalia quæ mouentur localiter, uel sequuntur intellectum, uel appetitum: intellectum, ut homines uiuentes secundum rationem, uel phantasiam: & appetitum sensitiuum, sicut bruta, & homines non utentes ratione. Ergo aliud est principiũ motus localis in animalibus imperfectis, & aliud in hominibus, nam in animalibus imperfectis, est phantasia indeterminata, quæ solum præsentia cognoscit. In hominibus uerò est ratio deliberans, quæ est cognitio rei absentis, & ad futura respicit. & ideo intellectus semper est rectus: appetitus uerò & phantasia sunt recta, & nõ recta, quia possunt aliter se habere. Appetitus enim nõ mouetur ab appetibili ad omne bonũ, sed ad bonũ præsens, & particulare. Possunt itaque appetitus esse contrarij, quia ratio & cõcupiscentia sunt aliquãdo contraria. nam intellectus propter malum futurum, quãdoque iubet præsens bonum esse fugiendum. Concupiscentia

uerò

uerò quæ non iudicat de futuro, propter præsentis boni delectationem iubet tale esse prosequendum. fit ergo contrarietas: quia ratio semper deprecatur ad optima. Nam in qualibet actione intellectus practicus utitur syllogismo practico, cuius maiorem propositionem semper sistit idem intellectus, scilicet practicus. Etsi idem intellectus, subsumit minorem proportionem, non fit in conclusione error. sed si minor propositio subsumitur per appetitum sensitiuum, aut phantasiam, tunc cõmittitur in conclusione error circa agibile: quia conclusio sequitur semper debiliorem præmissarum propositionum partem. Nam cum maior est propositio uniuersalis, & minor particularis, ergo & conclusio erit particularis. exempli gratia. nam intellectus practicus sumit in qualibet operatione hanc propositionem: Omne bonum est faciundum, & omne malum fugiendum. Cum ergo sub tali propositione intellectus practicus subsumit aliquid simpliciter bonum, non fit error in conclusione. Si autem phantasia, aut appetitus inferior sensitiuus subsumat sic, quòd delectatio præsens in aliquo præter rationem est bona, tum accidit error in conclusione, propter admißionẽ, seu assumptionem boni particularis. Sequitur ex iam dictis secundò, quod ad motum localem perfectum requiruntur quatuor mouentia, & unum quod mouet tantum. quia ad motum requiritur primò mouens immobile, scilicet appetibile, & id mouet appetitum, & appetitus mouet organum, & illud alia membra. & sic mouetur animal ad prosequendum aliquod bonum, aut ad fugiendum malum, uerum, uel apparens. Sed de his satis ac super. Ad tertium igitur librum pergamus operæprecium est.

Sequitur Liber de Anima
tertius.

LIBRI DE ANIMA ARIstotelis tertij Epitome.

TAmetsi Aristoteles in prioribus de Anima libris, animæ naturam inquirens, de ipsa anima, & ea quidem rationali, quatenus rationalis est, & physicæ considerationis terminus, nihil unquam attigerit: attamen in tertio hoc de Anima libro, de potẽtiis seu uiribus animæ intellectiuæ, quibus contemplamur, consultamus atque discernimus, nauiter determinat, & obscurè satis, animæ rationalis immortalitatem, immaterialitatem, incorruptibilitatem, esse sine corpore habentem ostendens, quod nos pro uiribus unico tractatu (reliquis in præcedenti libro satis supérque explanatis, omissis) explicaturi sumus: quem in capita septem breuiter digessimus, hoc pacto.

Quid sit anima rationalis, quæ eius partes siue potentiæ, & proprietates sint.

CAP. I.

Animam, & eam quidem rationalem, certa aliqua definitione definire, formã & essentiam eius naturalibus rationibus describere, quia spiritus est, esse impossibile, iam in primo hoc libro abundè satis diximus. eam tamẽ per accidentia, quæ à posteriori utcunque rem aliquam notificant, explicabimus scripturæ autoritate, hoc modo: Anima rationalis est spiritus uitæ, ad imaginem Dei creatus, & corpori humano inspiratus. uel, Anima rationalis est spiritus intellectiuus, semper mouens seipsum, semper in motu bonæ malæq; uoluntatis capax, quam philosophi nostri sic definiunt: Anima rationalis est actus primus substãtialis, corporis naturalis, organici, humani, quo homo uiuit, sentit, intelligit primùm, agítque liberè & cùm electione. Quæ in duas diuiditur parteis primarias,

rias,non quidem essentia sed officiis distinctas:scilicet intellectum,quæ dicitur uis rationalis apprehensiua,uel cognitiua:& uoluntatem,quæ dicitur uis rationalis motiua, de qua ultimo huius libri capite satius dicturi sumus. Cæterùm iam de animæ rationalis proprietatibus autore Aristotele dicamus. Quarum prima est:anima rationalis à corpore humano est separabilis,quia est actus,qui non dependet in esse,& conseruari ab ipso corpore,licet non posset naturaliter fieri sine corpore,potest tamen conseruari sine corpore. Secunda:anima est id quod uerè est,hoc est per se & simpliciter. Et potest esse,quod est hoc aliquid:id est, potest per se subsistere, quasi secundum se habens esse,etiã sine corpore. Tertia:anima intellectiua est,immortalis,& perpetua, quia est forma, quæ non dependet in esse à corpore.quare esse ab eo est separabile,nec habet in se unde corrumpatur. Ex hoc loco Aristotelis nequit uerè probari animæ immortalitas:solo igitur Dei uerbo ipsa credenda est. 1. Cor. 15.

Quid sit intellectus, & quæ eiusdem diuisiones.

CAP. II.

Intellectus,uel mens, est potentia animæ rationalis, qua homo intelligibilia,præsertim uniuersalia percipit, diiudicat & cognoscit. Et ex hac itaque definitione patet finis & propria officia intellectus: nempe, percipere, diiudicare,& cognoscere,quæ quidem nullius instrumenti corporei facit ope,sed per se,nisi quatenus sensus adiuuat uirtutem intellectiuam. Differt ergo intellectus à uoluntate.nam ille cognoscit,uoluntas autem cognitum elegit prosequendum, uel aduersandum. Verùm quadrifariam diuiditur:in bina,quæ bina officiis tantum,& non essentia inter se differunt. nam intellectus unus ac simplex est per se indiuisibilis essentiæ.atque ita *Intellectus quid.*

bina illa erunt idem quoque numero: tametsi officiis differant communi quam uocant differentia. Prima *diuisio duplex est, intellectus scilicet agens, & paßibilis.* Intellectus *agẽs est potentia animæ rationalis cognitiua, quæ abstrahit species intelligibiles à phãtasmatis, eásque transmittit intellectui paßibili reseruandas.* Estque *hic planè ingenium hominis, id est, acumen inueniendi, & aliquid ex seipso sine doctore aut monitore excogitandi.* Ex *ista definitione patet, duo esse officia intellectus agentis.* Vnum, *quod uocant illuminare phãtasma, hoc est abstrahere speciem intelligibilem, &* planè *immaterialem, à quolibet phantasmate: sine quo non* fit *intellectio.* Oportet *enim quemlibet intelligentem phantasmata speculari.* Nihil *enim est in intellectu, nisi prius fuerit in sensu.* Alterum *officium est, quod uocant illuminare intellectum paßibilem, hoc est illas abstractas ex phantasia species & imagines diiudicatas, ab intellectu agẽte transmitti ad intellectũ paßibilem, non solùm cognoscendas, sed & conseruandas, memoriæq; reponendas.* Atq; *utriusq; uim experimur ipsi, cum aliquid de uirtute, de uitio, de aliouc quolibet loco cõmuni alicuius profeßionis studiose audientes, ac inde meditantes, ac expendentes speciem aliquam ac ideam certam, aut definitionem, & simile animo reponimus.* Sicque *agẽs intellectus est, tanquam doctor docens: sed paßibilis, est tanquam discipulus addiscens.* Intellectus *autem paßibilis, quem quidam poßibilem uocant, est potentia animæ rationalis cognitiua, quæ species intelligibiles ab intellectu inuentas, excogitatas, sibique transmissas, etiam diiudicat. & confert inter se, & retinet.* Exempli *gratia, ut si in aliquo consilio plures sint, quorum uni in mentem uenit utile consilium, reliquis non animaduersum, ille est usus intellectu agente. alij qui auditum consilium percipiunt, & agnoscunt utile esse, etiam si ipsi inuenire non*

potuer

potuerunt, utuntur tantum paßibili intellectu, ut dictum est. Secunda diuisio: intellectus aut est speculatiuus, aut practicus. Speculatiuus est, qui habitu uel actu speculatiuo instructus, finem habet speculationem, scientiam, & ueritatem: cuius obiectum est uerum & falsum. practicus uerò est, qui habitu, uel actu practico instructus, bonum opus intelligit tanquam finem suum, & illud exequitur: cuius exẽplum in fine secundi libri attulimus. cuius obiectum est bonum & malum. Tertia diuisio: intellectus aut est habitu, aut actu. Intellectus habitu est, qui ociosus, non intendit se in speciem intelligibilem. Intellectus uerò actu est, qui actu rem aliquã intelligit, conuersus in speciem intelligibilem. Quarta diuisio: Intellectus alius est simplex, alius compositus. Simplex est, quando cognoscit simplex & incomplexum, ex uno aliquo prædicamẽtorum quolibet, cuius notitia incomplexa, uel absoluta intellectio uocatur. Obiectum uerò est indiuisibile, id est, terminus incomplexus. & hæc uocatur prima operatio intellectus scilicet simplicium apprehensio, qua simpliciter iudicat intellectus hoc esse, uel non esse. Compositus uerò intellectus dicitur, cum cognoscit propositionem ueram aut falsam, cuius notitia est complexa & intellectio cõparata, quæ & poßibilia, & impoßibilia comparat per propositionem. Huius obiectum est diuisibile, & multiplex intelligibile. id est, propositio quæ diuiditur in compositos terminos. & hæc est secunda operatio intellectus, quæ uocatur cõpositio & diuisio. Et hic compositus intellectus rursum est duplex: scilicet componens, id est affirmans, hoc est, affirmatiuam propositionem concipiens, in qua prædicatum componitur, & coniungitur suo subiecto, ut Achilles est fortissimus Græcorum: & diuidens intellectus, id est negans: hoc est, negatiuam propositionem concipiens, in qua prædicatum negatur seu sepa-

ratur à subiecto, ut Thersites non est fortißimus Græcorum. Alij addunt tertiam operationem intellectus, scilicet ratiocinari & iudicare.

De proprietatibus, seu officiis intellectus.

CAP. III.

Aristoteles intellectus humani complurimas enumerat proprietates, quarum prima est. Intellectus habet potentiam recipiendi quālibet speciem intrinsecus, cum nulla ei species sit prorsus innata. Nam anima primitus est tanquam tabula rasa, in qua nihildum actu scriptum, aut pictum est, sed tempore suo potest ei tabulæ quid inscribi. Secunda: intellectus est uirtus paßiua, quoniam sensus est uirtus paßiua, ergo & intellectus: quia intelligere fit sicut sentire. Nam quemadmodum sensus sentit in hoc, quod suscipit speciem sensibilem: sic quoque intellectus. attamen intellectus non est paßiuus uirtute corruptiua, sed perfectiua: quia patitur ab intelligibili, à quo perficitur. Tertia: intellectus est uirtus immixta, non alligatus certæ alicui speciei, uni. nam alioqui intus existens, prohiberet extraneum: sicut uisus, si uni colori esset deditus, tum non perciperet alios colores. Quarta: sensus hebetatur aßidua operatione, intellectus uerò crebra meditatione redditur acutior & agilior. Quinta: sensus præsentia tantum & præterita apprehendit, intellectus etiam futura prospicit. nam, ut ille ait: Istuc est sapere, non quod ante pedes modò est uidere, sed etiam illa quæ futura sunt prospicere. Sexta: sensus est uirtus in organo, intellectus uerò minimè. nam organum est determinatæ naturæ, & constitutionis. si igitur esset in aliquo organo, ex tunc naturam illius organi non cognosceret, neque cognita haberet uniuersalia, sed solùm singularia. Et licet intellectus sit in corpore mediante anima, non tamen est in organo, mediante quo recipiuntur

Terent. in Adelp. act. 4. Sce. 1.

rerum

rerum species. Præterea intellectum agentem sequuntur septem aliæ conditiones, seu proprietates, quarum prima est: Intellectus in actu separatus est ab organo corporeo, uel ut alij dicunt, separabilis simul cum anima rationali. Secunda: intellectus agens impaßibilis est, quia non potest pati paßione corruptiua, cum non habeat materiam quæ est principium illius paßionis. Tertia: quòd sit immixtus, id est, non est compositus ex rebus corporalibus, cum sit omnino immaterialis. Quarta ut sit substantia actu ens, per se subsistens. Quinta: quòd scientia rei scitæ est, eadem cum intellectu in actu, sicut subiectum & accidens. Sexta: quòd intellectus in actu, est prior intellectu in potentia. Septima: intellectus perfectè est in actu, cum actu intelligit.

De specie intelligibili, ipsius intellectus, & eius obiecto. CAP. IIII.

Species intelligibilis, est qualitas intelligibilis immaterialis, mouens intellectum, cui allata imprimuntur: sicut scriptura tabulæ appingitur, sicut imago æri liquæfacto infigitur, ut altius & diutius hæreat: sic intellectus est quasi tabula apta ad recipiendam speciem quamlibet sibi adpictam, aut infusam. Sicut autem res alia materialis est, alia immaterialis: & sicut duplex est species sensibilis, scilicet materialis à corporeo, immaterialis ab incorporeo, per phantasiam collecta: sic & duplex est species intelligibilis, scilicet materialis à specie sensibili rei materialis, manans ex phantasia in intellectũ, ut cum intelligo & concipio pomum, plantam: & immaterialis, à specie sensibili rei immaterialis, manans ex phantasia in intellectum: ut cum intelligo & concipio angelum, iustitiam, dolum, & quancunque aliam rem immaterialem. Ex his itaque dictis intelligis, quónam modo intellectus concipit & intelligit essentiam alicuius rei, substantiæ, uel accidentis, ma-

terialis uel immaterialis, uerè uel imaginariè. Nunquam tamen intelligimus immaterialia sine ope materialium, & absque similitudine collationeque harum. Tamen rectè eam uocamus rem intelligibilem, quæ ab intellectu quoquomodo intelligitur. unde sequitur, quòd proprium ipsius intellectus obiectum, est essentia rei cuiuslibet ueræ aut imaginariæ sic essentiam hominis, essentiam iustitiæ intelligo, & concipio. Alij autem dicunt, quòd intellectus intelligit quiditatem rei materialis, sicut suum proprium obiectum, hac permoti ratione. quoniam aliud est suppositum habens naturam aliquam, ut Socrates: & aliud est ipsa natura, quæ est quiditas suppositi, scilicet in ordine ad potentiam cognitam, quia per aliud, & aliam potentiam cognoscuntur. Sed suppositum siue singulare cognoscitur per sensum. oportet ergo quod quiditas suppositi cognoscatur per intellectum. nam singulare cognoscitur per sensum, uniuersale uerò per intellectum.

De conuenientia & differentia intellectus & sensus.

CAPVT V.

Tametsi intellectus & sensus sunt animæ diuersæ potentiæ, sunt tamen illorum aliquæ conuenientiæ, atque differentiæ. Conueniunt enim primò in hoc, quia sicut sensus est uirtus passiua, & ducitur in actum per sensibile: ita similiter & intellectus ab intelligibili. Secundò, quia sensus est omnia sensibilia in potentia; ita intellectus est omnia intelligibilia in potentia. Quare dicitur, quòd intellectus est quodammodo omnia: est enim omnia sensibilia per sensum, & omnia intelligibilia per intellectum: non secundum esse naturale, sed secundum esse intentionale & proportionis. secatur enim scientia & sensus, sicut res. Et ideo lapis non est in anima, sed species lapidis. Tertiò, sicut sensus non corrumpitur à

medio

mediocri sensibili, ita nec intellectus ab ullo intelligibili, quamlibet arduo. Quarto, sicut sensum sequitur appetitus sensitiuus, & affectus bestialis: sic intellectum sequitur uoluntas & appetitus, uel effectus rationalis. Quinto, sicut sensus communis omnia sensibilia dijudicat, sic intellectus omnes species intellectus cognoscit & dijudicat. Sextò, sicut sensus abstrahit speciem sensibilem à materia obiecti, ita & intellectus abstrahit intelligibilem speciem à materia, uel ab inmateriali phātasmate. Differunt quoque intellectus & sensus. Primò, quia sensus est corruptibilis, nō autem intellectus, secundò, sensus est uirtus in organo, intellectus uerò minimè. Tertiò, intellectus dependet à sensu, & non econtrario.

De ratione seu intellectu humano, de ratione in brutis, déque memoria intellectiua.

CAP. VI.

Ratio est intellectus conferens inter se plures species intellectas & conceptas artibus speculatiuis, uel practicis: ut cum confero dialecticam cum rhetorica, uirtutem cum uitio, scientiam cum opinione, angelum cum anima, aut quamlibet speciem intelligibilem cum qualibet specie, singulare cum alio singulari, aut uniuersali suo, uniuersale cum inferioribus suis, aut singularibus, aut cum alio uniuersali, propositionem cum alijs propositionibus ueris aut falsis, definitionem cum definito, partes cum toto, & contra speciem cum proprio, accidentia cum subiecto, & cætera similia. Atqui summa ratio est intellectus, plura simul concipiens, eáque conferens inter se, ita ut uel partem rerum, uel nihil, uel omnia probet, nempe uera aut bona: aut contra improbet, nempē falsa aut mala, & plura similia inde uel dißimilia sibi eliciat, ac rationetur. Intellectus ergo unā rem uel propo-

sitio

ſitionem concipit, nobiliſsimáque pars eſt ipſius intellectus, quæ docet probare uerum aut bonum, & reprobare falſum aut malum optima uoluntatis magiſtra. De ratione *in brutis pauca diſſeramus oportet.* nam *animalia irrationalia, aut bruta, habent mortalem animam ſenſitiuam, quæ & uegetatiuæ officia præſtat. hæc autem animalia uegetatiua in plantis, ac ſenſitiua in brutis, eſt quidem ſubſtantia incorporea, id eſt, ſpiritus & ſpiraculum uitæ, ſed unà cum planta, aut animalis corpore nato naſcitur, & mortuo moritur, ut inquit* D. *Auguſtinus. Spiritus omnium animalium irrationalium, tam diu ſpiritus ſunt, quàm diu in corpore uiuunt. & anima quæ rationis capax diuinitus facta non eſt, cum carne ſua (id eſt, ſui animati corporis) incipit & deſinit niuere. nam quàm diu uiuit, tam diu in carne manere poterit: & dum à carne ſua ſeparatur, ſtatim extinguitur. Aliqui ex doctis quoque contemplantes mirabilem induſtriã, non in magnis tantũ, ſed etiã in minutiſsimis beſtijs præ admiratione, quandam rationis particulam irrationabilibus quoque tribuere dignati ſunt, quæ non intellectu, ſed mero ductu, inſtinctu, & impetu naturæ, imitatione & conſuetudine uidentur ratiocinari.* De *memoria autem intellectiua ſcire conuenit, communem eſſe homini cum beſtijs memoriam, quam ſenſitiuam, retinentem phantaſmata ſenſibilia, & organicam appellamus.* Sed *memoria intellectiua ſoli homini peculiaris eſt, & propria, cuſtos & conſeruatrix conceptuum & imaginum, uel rerum quarum ſpecies ſunt ab intellectu perceptæ, & hæc potentia eſt non organica: ſicut & intellectus, cuius ipſa pars eſt. Illius autem memoriæ obiectum eſt præteritum, id eſt ſpecies intelligibilis, iamdudum animo cogitata & infixa.* Nemo *enim dicit ſe meminiſſe futuri, ſed coniectare futura: neq; præſentis meminiſſe, ſed co-*

gno

gnoſcere præſens obiectum. Itaque memoria eſt potentia intellectiua, non ſenſus, neque coniectura, ſed habitus quidam referens ſpecies, poſt aliquantum temporis exactus, ut ediſcentes experiuntur. Duo ſunt præterea memoriæ officia, ſcilicet retinere ſpecies intelligibiles, ſemel intellectui paßibili impreſſas: & referre ac renouare quoties libet, & opus fuerit. Secundum officium eſt, ſpecies impreſſas ac obliuioni tamen traditas, quæque intellectui uel animo ſemel aut ſæpius exciderent, illas renouare, & quaſi mortuas ſpecies reſuſcitare: & hoc uocatur reminiſci, & reminiſcentia. Nam reminiſci, eſt obliuioni tradita recordari: quod oportuniſſimè fit à circunſtantijs perſonæ temporis, loci, &c.

De voluntate humana ſeu de intellectiuo, vel rationali appetitu.

CAP. VII.

Ex his quæ antea retulimus, propalam eſt, duas eſſe hominis partes primarias: intellectum ſcilicet, uel rationem, & uoluntatem. ubi uoluntatem quandam uocauimus irrationalem, hoc eſt appetitum ſenſitiuum, quem ſenſualem indocti dicunt, hoc eſt cum beſtijs communem, de quo hic non loquimur. uerùm hoc capite agimus de hominum propria uoluntate, quam rectè appellamus intellectiuum & rationalem appetitum, ita: Voluntas eſt potentia animæ rationalis motiua, qua homo intellecta cupit ut bona, uel renuit ut mala. Intellectus ergo, uel ratio docet, & explanat, quid faciundum fugiendúmque ſit, quæ uacare debet temeritate & negligentia. Voluntas autem, id eſt appetitus hominem huc & illhuc rapiens impetu ſuo, debet rationi obtemperare, nihilque agere aut uelle, nedum præſtare, cuius non poßit probabilem cauſam reddere. Nam ratio eſt metrum & regula actus uoluntarij. etenim ratio ſemper deprecatur ad optima, ut diximus:

ximus: & semper ad optima quæque hominem adhortatur. Obiectum autem uoluntatis, est propriè bonum appetibile, uel malum abominabile, intellectum, perceptum, & dijudicatum à ratione: quemadmodum de potentia appetitiua, ea quoque obiter attigimus.

Ad Lectorem.

Non mireris ornatißime lector, me in hoc commentariolo persæpè aliorum imitatum esse Mineruam. nam si C. Plinio, alijs quoque receptißimis autoribus licuit, non solùm aliorum sensa, uerumetiam integra capita sibi uendicare: cur mihi non liceat (cum sciamus omnibus in medio scribendi palmam esse positam) doctißimorum scripta imitari, & philosophiæ initiatis in meliorem usum, ordinem ac frugẽ reponere: Faciat & idem censor, & nemo criminabitur illum. Quòd autem non raró stylo humiliori in his opusculis usi sumus, atque nonnunquam uerborum insolentia, uenia nobis danda erit, quando cuique professioni & arti sua phrasis (propter obscuritatem cauendam) permittenda est, nec eodem sermone omnibus seculis usi sunt eruditi. Præterea quælibet scientia (si Aristoteli credimus) sua propria habet principia, proprios terminos, proprias propositiones, quæstiones, atque conclusiones. Vale bene, Lector optime, atque purgationem nostram æquo animo admitte.

FINIS.

HIERONYMI AVRIMONTANI Vuildenbergij, Moralis Philosophiæ Epitome: Ethices, Politices, & Oeconomices principia luculentißimè enarrans.

REVE

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI, DOMINO Tidemanno, Varmiens. Ecclesiæ Episcopo: Hieronymus Vuildenbergius Aurimontanus,

S. P. D.

QVANDO *post fœlicia domini Ioannis Dantisceni à Curijs fata, Reuerendißimi, consultißimique Varmiensis olim Diœcesis Præsulis, innocentißimi, Sacra Maiestas Regia dedit nobis clarißimam Celsitudinem tuam, animarum pastorem, Episcopum, & Antistitem uigilantißimum, à consilijs terrarum Prußiæ consultißimum: non parum gauisus est uniuersus Ecclesiæ Varmiensis sacerdotum cœtus, ac reliqua nobiliũ multitudo, populúsq; uniuersus: eum se nactum esse Pontificem, profectò summa dignitate, summa uirtute præditum, meritò solenniter uocatum: qui ut propria uirtute & doctrina; quibus omnis generositatis palma (ut Stoici uolunt) est tribuenda, clarus est: ita stemmate, natalibus, seu familiæ nobilitate insignis, pleròsque prudentia & uirtute longè antecellit: qui fortunæ bonorum minimè expers: animi dotibus excellens: qui dies atque noctes æquitatem fouet, & amplexatur: qui nec transuerso quidem digito à iustitia recedit: qui uelut in librili perpendit omnium beneuolentiam: qui uniuersa ad rempublicam Christianam pertinentia, autoritate regit, sapientia pensitat, dexteritate moderatur: qui sacram religionem nostram, ad pristinã dignitatem, amplitudinémque restituere, pro uiribus molitur, nutúque gubernat: meditatur indies, Episcopatum opus esse, non regnum. Probè itaque Sigismundus Augu-*

stus,

stus, inclyti regni Poloniæ rex clementißimus, animaduertēs, quod sine gubernatore nauigium periclitatur, sine auriga quadrigæ præcipites ruūt, sine rectore cuncta labascūt atque uacillant. Qualis enim est in gubernanda naui gubernator, in custodienda arce præfectus, in regenda ciuitate magistratus, in administranda prouincia præses: ita in diœcesi Episcopus eligendus, uocandúsq; erat, qui in prouecta ætate Nestoream habeat sapientiam: de cuius uirtute ac præstantia, apud Maiestatem Regiam abunde iudicatum esse uidetur: de quo nobis omnia polliceri possumus, quæ ab hero optimo, æquißimóque nobis præstanda, meritò existimamus. Quare pro uiribus enitere, Præsul amplißime, meditare, contende, quòd de te magnifica expectatio illa, perpetuò floreat, uigeátque: ut cuncti te rectorem, tanquam ducem uenerentur, insectentur, obsequantúrque: quod diœcesis hæc tua, tanquā rerum diuinarum humanarúmque expertißimo moderatori concredita, crescat, augeatur, & illustretur continuò: qui probitate, innocentia, integritate, solertia, nulli postponendus uenit, neminique secundus. Nam uniuersa Prußia non habet alium, te uno præstantiorem, uel magis pium, uel qui Christum uerius sapiat, qui iuuentutem ad bonas literas perdiscendas tanquam unicum eruditionis præsidium, parat, consultat, & impellit: qui Culmensi ingenuarum disciplinarum gymnasio, ac honestorum morum præclaro domicilio, pro usu patriæ pulcherrimè antiquitus constituto (cuius alumnum semper egisti eximium) etiam nunc ope & opera tua, ut par est (testamenti loco) non deerit: quod precamur literarum studiosi omnes, precibúsque contendimus singuli: in quo adolescentes ipsi, qui futuræ Reip. Christianæ rectores & cardines fore debent, optimis artibus, cultis & præclaris moribus, non paucis antè annis instructi, etiam modò imbuantur, eru-

diantu,

diantur, doceantur: quo rebuspub. pro tempore, non modò præesse, uerum etiam prodesse queant. quibus hanc philosophiæ moralis partem, quæ de moribus, & omnibus honestis actionibus humanis liquidò tractat, exarare curaui. Nā qui ingenuis artibus excellūt, & morum ciuilitate deficiunt, inhumanis beluis nō multo dißmiles iudicātur: eo quòd hoc doctrinæ genere non sunt exculti. Quapropter adolescentibus ut in reliquis philosophiæ partibus prodesse studui, ita & hic illis me profuturum spero, Vbi me primùm ab Aristotelis Moralis philosophiæ, quæ Ethice nominatur, libris, in quibus de morum urbanitate tractatur, paucis absoluā: subinde de Politicis, quæ de Reip. & ciuitatum administratione luculentißimè pertractant, in quibus leges, senatus populíq; decreta breuiter docentur, multa denique quibus domi foríſque uiuatur, commodè narrabo: tandem Oeconomiam, quæ est de gubernatione domus & familiæ, recensebo, non contēnenda, neque inutilia. Quibus quoque interieci Isocratis aurea dicta, & Senecæ morū elegantißima decreta: pulcherrimè literarum ordine cōcinnata, quæ breuiter & liquidò docent, quas res oporteat adolescētes desiderare, & quæ rursus opera uitare, qualibus itē hominibus se cōiungere, & quomodo suam ipsorum uitā instituere debeant. Quæ omnia Reuerendæ Paternitati tuæ dicaui, nuncupauique. nec immeritò: quādo nouo Heroi noua conueniunt literatarū lucubratiunculárum præconia. Ea itaque ut æquo ac iucundo animo, hilarique fronte admittat clariß. Amplitudo tua, mirandum in modū rogo, & oro. Nam hoc pio officio tradūtur ad cohibendas cupiditates uitæ communis præcepta, quæ spero innocentißimæ Celsitudini tuæ nō fore ingrata, iuuentutique utilißima. Dij igitur faxint, quò istud sit perpetuum pignus ac monimentum meæ erga te fidei ac obseruantiæ. Vale, Pontifex clementißime: & me inter clientes tuos adscribito.

p HIERO

HIERONYMI AVRIMONTANI VVILDENbergij Philosophiæ Moralis Epitome.

QVID PHILOSOPHIA MOralis, & quæ eius partes.

Moralis philosophiæ descriptio.

PHilosophia moralis est, quæ de præclaris hominum uirtutibus, honestísque actionibus pertractat, scientia, notitiam legis naturæ continens. Est enim notitia præceptorum de Moribus, & honestis actionibus quas ratio intelligit naturæ hominis conuenire, & in ciuili consuetudine uitæ necessarias esse, quæsitis fontibus præceptorum, arte & demonstrationibus, quantum fieri potuit. Hæc in tres partes, scilicet in Ethicen, Politicen, & Oeconomicen, diuisa est. Quarum prima, uniuersam bene uiuendi rationem continet. Altera eam, quam sibi proposuerunt ij, qui in Reip. luce uersantur. Tertia, quam sibi quisque priuatim, intuenda re familiari, domi cum uxore ac liberis, constituit. De quibus omnibus in hac Epitome, nos paucis absoluere statuimus, præmisso omnium primum in 10. Aristot. libros argumento: in quorum

Philosophiæ moralis diuisio.

In 10. libr. Ethic. argumẽtum.

1 Primo Ethicorum libro, Aristoteles inuestigat, quid sit summum bonum, quod omnia appetunt: & quid felicitas.

2 Secundo, agit de uirtute intellectiua, & morali.

3 Tertio, de Fortitudine, & Temperãtia: de uoluntario & inuoluntario.

4 Quarto, de Liberalitate, Magnificentia, Magnanimitate,

tate, Modestia, Mansuetudine, Affabilitate, Verecundia, & Veritate.

5 Quinto, de Iustitia, Iniustitia, & Iniuria.

6 Sexto, de Recta ratione, de duplici uirtute, & arte, partibus Animæ: de Scientia, Prudentia, Intellectu, & Sapiētia.

7 Septimo, de Heroica uirtute, continentia & incontinentia, uoluptate, & dolore.

8 Octauo, de Amicitia, & eius speciebus.

9 Nono, quid amicis debemus, & quæ amicitiæ opera.

10 Decimo, de Voluptate, & de Fœlicitate.

Consequens est, quòd Aristoteles in libris Ethicorum bene beatéque uiuendi uiam & rationem instituit, quam beatam uitam, beatitudinem, & fœlicitatem, seu summum hominis bonum appellat: à quo capit disputandi exordium, in eóque in fine decimi conquiescit.

IN MORALIS PHILOSOPHIÆ Epitomen, ad Lectorem exordium.

HAbito itaque omnium librorum Ethicorum Aristotelis argumento, ex quo quicquid in unoquoque libro agitur, colligere queas, optime Lector: nunc ad descriptiones uirtutum atque uitiorum me uertere operæprecium esse duxi. Nam quicunque bene beatéque uiuere statuerit, reiectis uitiis, sese uirtutibus munire debet, & optimis moribus incumbere: ad quorum cognitionem peruenire nequit is, qui non omnium penè uirtutum uitiorúmque descriptiones cognitas habet, ex quibus boni malique discrimen colligere & elicere queat. Quaproter omissis perplexis, obscuris, & confusis Moralium librorum commentationibus, breuissimè ad primaria & insigniora Philosophi in Ethicis dicta colligenda

Pollicetur virtutū descriptionē.

Primaria se traditurū promittit.

genda me conuertere statui.

Ordo dicendorum. Primum igitur, quid sit Virtus, dicendum: subinde quot, & quæ sint uirtutes morales, intellectualésque, explicandum erit: præcipuè tamē, omnium uirtutum moralium genera & species nominatim, tanquam in catalogo enumerabo, legenti. *Virtutum omnium catalogus.* Quarum aliæ Morales, aliæ Intellectuales dicuntur: atque in mediocritate duorum uitiorum oppositorum, alterius secundum excessum, alterius secundum defectū, consistere propalam est: quod in sequēti diagrāmate liquidò perspici queat.

VIRTVTES MORALES sunt duodecim.

Superabundantia		Defectus.
Audacia	*Fortitudo*	Timiditas.
Intemperantia	*Temperantia*	Insensibilitas.
Prodigalitas	*Liberalitas*	Illiberalitas.
Ruditas	*Magnificentia*	Pusillitas.
Lenitudo	*Magnanimitas*	Pusillanimitas.
Ambitio	*Modestia*	Honorum contemptus.
Ira	*Mansuetudo*	Iræ uacuitas.
Adulatio	*Affabilitas*	Contentio.
Arrogantia	*Veritas*	Dißimulatio.
Scurrilitas	*Comitas*	Rusticitas.
Plus	*Iusticia*	Minus.
Plus	*Amicitia*	Minus.

VIRTVTES INTELLEctuales sunt quinque.

Ignorantia	*Scientia*	Sinistra persuasio.
Sultitia	*Intellectus*	Error intellectus.
Insipientia	*Sapientia*	Error sapientiæ.
Atechnia	*Ars*	Error artis.
Imprudentia	*Prudentia*	Error prudentiæ.

Sub pru

Sub prudentia continentur scilicet,

Bona consultatio. Sagacitas, id est,
Sententia. Synesis.
Continentia. Heroica uirtus.
Voluntarium. Verecundia.
Fœlicitas. Delectatio.

Dictarum autem uirtutum omnium, atque uitiorum diuisiones, definitiones, & probationes afferre, non est admodum necesse. Nam artium, uirtutúmque definitiones ac diuisiones, uim habent principiorum: quæ aliter se habere non possunt, quoniam per seipsa, & non per alia fidem habent. Regula.

QVID SIT VIRTVS, & quot uirtutum genera ac species.

ARistoteles in primo Ethicorum libro, ostendens summum bonum esse finem hominis, & uirtutes ipsas esse gradus quosdam per quos pateret facilis ascensus ad illud summum bonum, quod omnia appetunt: illud quidem non in uoluptate, nõ in diuitiis, non in secunda fortuna, neque in honore, neque in uirtute consistere dicit: uerùm potius Deo tribuendum, aut in actione uirtuosa existere oportere. Et ideo uirtutem habitum esse asserit, qui in sola actione uersatur: & omnium uirtutum actiones, ratione fieri oportere, dicẽs: Omnis ars, omnis doctrina, omnis actio, omne studium & institutum, ad bonum aliquod refertur. Itaque probè ueteres summum bonum definierunt, id ad quod omnia referuntur. Vbi summum bonum esse ex ui & natura finis, & in actione consistere, non in unica, sed in pluribus reiteratis, concludit. Et ideo officium hominis esse, uiuere ex uirtute, seu actione uirtutis, in qua summum bonum locauit Aristoteles, scilicet in uirtute omnium perfectißima, & in uita completa & confecta.

In quo consistit summum bonum.

Prima propositio, & enumeratio.

fecta. Et tamen beatitudinem ipsam in uita perfecta consistē re non posse: quia nemo in hac uita beatus. Et ideo definitionem uirtutis multis ambagibus enumerat: & secundo, tertio, quarto, & quinto libris concludit, dicítque, quòd

Virtutis definitio. Virtus est habitus electiuus, in mediocritate consistēs, ea quæ ad nos est, definita, recta ratione, & ut definierit ipse sapiens: cuius officium est iudicare, quid agendum sit, aut fugiēdum. Et ideo uirtus est habitus, qui inclinat uoluntatē ad obediendum rectæ rationi, & efficit mediocritatem in effectibus & actionibus. *Habitus electiuus.* Habitus autem electiuus significat idem quod sciens, suscipiens, aut agens aliquid iudicio, stabili animo, & consulto. Et ideo Philosophus docet, uirtutem moralem esse uoluntariam, & uitium uoluntarium, actionésque esse uoluntarias, atque in dolore & uoluptate uersari. Quod autē uirtus efficiat mediocritatem duorum uitiorum, alterius secundum excessum, alterius secundum defectum, patet. Nam fortis in comparatione ad timidum, dicitur audax: & in comparatione ad audacem, dicitur timidus. Ita de temperantia, liberalitate, & de reliquis uirtutibus dicendum erit. Sic constat omnem uirtutem inter duo extrema, opposita, uitiosa locari: quemadmodum in catalogo coràm cernis.

Definitionis uirtutis moralis declaratio. Ad uirtutis itaque moralis perfectam cognitionem tria requiruntur. Primùm, quòd uirtus moralis sit habitus electiuus, id est, ex electione proueniens, eo quòd nascitur ex operationibus per electionem factis: & in hoc distat à uirtute intellectuali, quæ non ex electione paritur. Secundum, quòd huiusmodi habitus intellectiuus, quem uirtutem moralem esse diximus, cōsistat in ea mediocritate, quæ uolūtatem nostrā respicit, ne scilicet excedat secundum plus aut minus: id est, ne fiat secundum excellentiam, aut defectum. Tertium, quòd huiusmodi mediocritas, in qua uirtus moralis consistere dicta est,

cta est, definita est per rationem, circunstantiásque prudentiæ: quemadmodum definit & ipse sapiens, qui ad bene uiuendum rectè eruditus est.

Pro enarratione habituum est sciendum, quòd habitus est

Duplex
- *Corporalis, qui fundatur in corpore, ut in subiecto: sicut agilitas, pulchritudo, palestrica.*
- *Spiritualis: qui est in anima triplex.*
  - *Concreatus: ut habitus angeli sicut sciẽtia illis concreata: & habitus primorum principiorum, ut synderesis.*
  - *Infusus, ut fides, spes charitas.*
  - *Acquisitus. duplex est.*
    - *Moralis: ut uirtutes morales, & uitia ipsis opposita.*
    - *Intellectual. duplex.*
      - *Practicus, cuius finis est opus, ut ars, prudentia.*
      - *Speculatiuus, cuius finis est scire, ut intellectus scientia, sapientia.*

DE DIVISIONE VIRTVTVM.

Virtutum diuisio. Intellectuales. Morales. Circa quid versentur moralium singulæ.

SVnt autem duo uirtutum genera. Alterum menti, rationi, seu intellectui attribuitur: ut prudentia, sapientia, intellectus, scientia, & ars: de quibus dicturi sumus. Alterum appetitui, ut reliquæ uirtutes morales: quarum unaquæque uersatur circa proprium obiectum, scilicet materiam propriam. Nam ipsa fortitudo uersatur circa timores & fiducias, quæ sunt passiones. Temperãtia, circa gustus

& tactus, uoluptates & tristitias: quæ itidem sunt paßiones. Liberalitas, circa dationem aut acceptionem pecuniæ, quæ est bonum fortunæ. Magnificentia, circa honorabilia, & magna dona, quæ etiam fortunæ bona sunt. Magnanimitas, circa honores, inhonorationes, fortunæ prospera ac aduersa: quæ itidem fortunæ bona sunt & mala. Modestia est circa mediocres honores, qui bona sunt externa, & fortunæ. Affabilitas, circa uoluptates & dolores congreßionum humanarum, quæ sunt affectiones. Mansuetudo, circa iræ excessus & defectus: quæ est paßio animi. Veritas, consistit circa hominum sermones. Iustitia, circa negotiationes, ad alterum: ut emptiones, & uenditiones, & distributiones. Comitas, circa ludorũ delectationes. Amicitia uerò, circa utilia, delectabilia, & honesta, in hominum communionibus: quarum omnium descriptiones patebũt in locis suis. Ex quibus notũ relinquitur, quòd omnis uirtus moralis uersatur circa perturbationes, affectúsq;, & circa fortunæ prospera & aduersa: quas omnes ordine alphabeti, diligens lector perquirat. Quibus adiecimus pleràque alia, ad morum integritatem cognoscendam plurimum conducentia.

Corollariũ

Mẽtis seu intellectus duæ partes

Cæterùm prius de uirtutibus intellectualibus, cum se semper habeãt ad uerum, circa quas res uersentur, paucis etiam explicare necesse est. Sed quia mentis duæ sunt partes, una uis est contẽplatiua, ac sciendi, qua ea quæ aliter ut sese habeant, minimè fieri potest, contemplamur: altera uerò, qua ea quæ aliter se habere possunt, perspicimus. Et hæc uis actiua, administratiua, consultrix, & subducẽdi ratio nominatur. Et ideo scientia est omnis habitus contemplatiuus, speculatiuus, atque theoricus, partis contemplatiuæ habitus: quoniam est habitus conclusionis, per demonstrationem acquisitus. primo Posteriorum. Sapientia, est scientia & intellectus eorum,

Scientia.

Sapientia.

quæ honorabilißima sunt in natura. Intellectus, est habitus principiorum. Principia sunt, quæ cum aliter se habere non possunt, per seipsa, & non per alia fidem habent. Ars uerò est habitus, circa ea quæ aliter se habere possunt, uera cum ratione factiuus. Prudentia est omnino circa hominis bona & mala, uera cum ratione actiuus habitus: quæ si unum hominem in suis rebus agendis dirigit, prudentiæ nomen retinet, aut Monastica prudentia dicitur: si domum rei familiaris, Oeconomica: si ciuium multitudinem, Ciuilis prudentia, & ciuilis facultas, atque Politica nominatur.

Intellectus. *Ars.* *Prudẽtia.*

Sunt præterea prudentiæ tres aliæ species: scilicet deliberatio, seu bona consultatio, sagacitas, & sententia. Sub quibus continentur: heroica uirtus, continentia, uerecundia, uoluntarium, delectatio, fœlicitas. Quarum omnium descriptiones, sequens ordo alphabeti abundè indicat.

Prudentiæ species.

DE INCIPIENTIBVS ab A.

Abstinentia est, à cibo & potu subtractio, ratione regulata. Est enim cohibitio gulæ, luxuriæ, cupiditatis, auaritiæ, ambitionúmque, & superbiæ. Commentator 1. Ethicorum.

Abusio, siue Abusus dicuntur, cum aliqua re per licentiam male utimur. Nam abuti, est perperam uti, siue nimis licenter uti. Cicero: Noli nimis abuti patientia nostra.

Acceptio personarum, est iniuria, qua persona personæ præfertur, in conferendo aliquid, quod ex debito iustitiæ alteri esset conferendum.

Adolescentia, autore Aristotele in Topicis, est flos ætatis, uel extrema pueritia: ab adoleo, quod modò signat accresco, quia crescentes pueri, cum primum puberes fiunt, olere hircum incipiunt.

Adulatio, est fallaci laude seductio.

Aemulatio dicitur imitatio uirtutis, & ægritudinem significat Rhetor. 1.

Aequanimitas in tolerandis tribulationibus, est patientia.

Aequitas est iustitia dulcore misericordiæ temperata.

Affabilitas est uirtus, qua homo se habet in dictis & factis, prout decet, humaniter. Vide Comis.

Affectus seu animi affectiones, dicuntur ab afficio, quod est commoueo: unde afficere dolore. afficere iniuria, molestia, dicimus. Hinc fit

Affectio, quæ secundum Ciceronem definitur, animi & corporis ex tempore, aliqua de causa mutatio: ut sunt, gaudium, lætitia, misericordia, cupiditas, metus, modestia: & alia quæ modò affectus, modò perturbationes dicuntur à nostris, tanquam morbos appellamus. Hinc etiam fit Affecto uerbum, quod est, nimio affectu & anxiè quæro.

Affectuum sequutor existens, inaniter & inutiliter audiet ciuilem disciplinam: cum ipsius finis non cognitio, sed actio sit.

Ambitio, est dignitatis appetitus immoderatus, ratione honoris.

Amicitia, est amor, mutuæ beneuolentiæ cum charitate consensio. Cicero de Amicitia. Et est amicus, is qui amat, & amatur. Et ideo definitur amicitia, quod est studiorum omnium, uoluntatúmque consensus. Et ubi hæc est, seditiones absunt.

Amor, est affectio animi, in rem quæ amatur: & in bonam & malam partem accipi potest.

Amicitias malorum tempus exiguum dissoluit, & bono-

rum

rum actorum, omnes quidem æui tractus extinguit: tales nunquam sectari conducit, qui præsentes amicos uenerantur honore, absentes beneuolentia prosequuntur.

Amicis, affinibus & cognatis tuis, dum queas, fer opem, si grati fuerint.

Ars est habitus circa ea quæ aliter se habere possunt, uera cum ratione factiuus. Ethic. 6.

Anima post separationem à corpore, non eget organo corporeo, sed est similis intelligentijs. Nam rationales sumus, & dij: sed mortale additum nobis, separat nos ab illis. Et differunt anima & animus. Nam anima est, qua uiuimus: Animus, quo sapimus: & pro mente capimus. Intellectus est pars animi rationalis, quo cuncta percipimus.

Arrogantia, quæ modestiæ contraria est, per quam temeritas atque impudentia, uanam sibi comparat authoritatem. Et ideo arrogans dicitur, qui sibi temerè, aut insolenter tribuit, quæ in eo non sunt.

Assentator est, qui placendi studio, omnia laudat, nemini que aduersatur. 4. Ethicorum.

Audacia est pertinacia, timiditati opposita.

Auaritia, est quarumlibet rerum insatiabilis & inhonesta cupiditas: Autore Augustino, libro 3. de Liber. arbit.

DE INCIPIENTIBVS à B.

Beatitudo, est summum bonum, & ultimus finis, rationalis naturæ tantum. Lege fœlicitas.

Beatus uir dicitur, qui omnibus uirtutibus instructus est, & ornatus. Cic. lib. Tuscul. quæst. Beatus dicendus est, qui sit in bonis, nullo adiũcto malo, qui rebus omnibus ad uitæ usum ornatúmque spectantibus abundat.

Bellum, est dissentio, per quam arma mouentur. Bella legitime

legitimè ſuſcipiuntur, à legitimis poteſtatibus, ad propulſandam iniuſtam uim, uel ad puniendum manifeſtum ſcelus alicuius populi. Et *ideo iuſta bella gerentes, fiunt ueri domini corporum & rerum.*

Beneficentia, *eſt exterior amicitiæ uel charitatis actus: ſicut* Beneuolentia.

Beneficium, *eſt quædam beneuola actio, gaudium tribuens capienti: cuius æſtimatio capientis eſt, non dantis. 9.* Ethicorum, *cap. 1.*

Beneuolentia, *eſt bonorum erga proximum uoluntas.* Cuius *oppoſita ſunt, odium, & inuidia.* Dicitur *enim bona uoluntas: cuius contrarium eſt maleuolentia.*

Benignus *dicitur liberalis, beneficus, clemens.* Vnde *benignam terram dicimus, abundè reddentem.* Plinius de Aegypto: Nulla *eſt benignior tellus, nullus ager fertilior.* A *quo benignitas, liberalitas, clementia.* V*nde benignè, liberaliter, clementer.*

Blaſphemia, *eſt contumelia, uel conuicium in iniuriã creatoris, per quam de* Deo *falſa dicuntur.*

Bonum *eſt id quod opponitur malo.* E*ſt nomen generale, & honeſta ſimul, & utilia complectens.* V*t bonum animi, bonum corporis, bonum fortunæ.* Summum *autem bonum, ſolum* Deum *eſſe conſtat.*

Bona *animi ſunt uirtutes, & ſcientiæ:* Corporis *ſunt, ſanitas, pulchritudo:* Bona *autem fortunæ ſunt, diuitiæ.* Ethicorum 1.

DE INCIPIENTIBVS à C.

Caſtitas *eſt uirtus ſpecialis, circa uenerea: ſicut abſtinentia, circa cibos.*

Cautio *eſt, qua diſcernimus à uirtutibus uitia, qua capiuntur*

piuntur bona, & uitantur mala.

Cæremoniæ, sunt opera exteriora ad cultum Dei pertinẽtia. Sunt & cæremoniæ seculares, quæ fiunt in nuptijs, funeribus, &c. Hinc dictæ sunt pompæ nuptiales, funebres.

Ciuitas est, nõ quæ mœnibus definitur, sed est societas quæ conficitur ex pluribus pagis. Est enim multitudo ciuiũ per se sufficiens, ad bene beatéque uiuendum. 1. Polit. 3. & 4. & in Oeconimicis. Differt autẽ ciuitas ab urbe: quia ciuitas propriè sunt ciues, Vrbs uerò mœnia & ædificia.

Ciues, socij sunt unius ciuitatis.

Ciuitatem omnem uidemus esse societatem quandam, & omnem societatem boni alicuius gratia constitutam. 1. Polit. 1.

Circunspectio, est contrariorum uitiorum cautela. & est pars prudentiæ.

Clementia, est lenitas superioris aduersus inferiorem, in constituendis pœnis: autore Seneca. & est pars temperantiæ, secundum Ciceronem in Rheto. Eius contrarium est, Crudelitas.

Comitas est, cum moderatione iocatio. 4. Ethic. Comis igitur est, benignus, facilis, mansuetus, non insolens, non iurgator, neque contentiosus.

Commodare, est alicuius rei usum ad tempus admittere.

Conciliatio idem est, quod placatio: & ideo reconciliare, est in gratiam redire, & in pristinam beneuolentiam cum eo, cui dedisti offensam. Et in malam partem nonnunquam accipitur: ut, Tu concilias tibi inimicitias.

Concio, est populi multitudo, congregata ad audiendum aliquem orantem, pro communi utilitate: & tum ipsa concio appellatur.

Concor

Concordia,est consensus uoluntatum, qua res magnæ cre=scunt:ut Discordia res maximæ dilabuntur,Salustio autore, in bello Iugurthino. O diuina concordiæ uis, quæ dißipata connectit,infirma corroborat:sine qua magistratus non salu=tares,sed detrimentosi in suis urbibus efficiuntur.

Concubina, est mulier quæ domi quasi uxoris loco te=netur.

Concupiscentia,est tam bonarum,quàm malarum rerum appetitus, à concupisco ueniens, quod est opto,& desidero. Est enim appetitus delectabilis sensitiuæ,qui dicitur sensuali=tas.Vnde Concupiscentia,dicitur amor desiderij:Zelus,amo=ris:Abominatio,odij: Acidia,tristitia,præsumptio spei: Au=dacia,confidentiæ:furor,iræ.

2.Ethic. Confidentia est,per quam magnis & honestis rebus, ani=mus multum in se fidentiæ collocat.Cic.

Coniuratio est,quando aliqui rebelles autoritati, in unum se colligendo,iuramentum inter se dederunt.Et est idem quod conspiratio,quæ raro sortitur bonum finem.

Consanguinitas, est propinquitas quædam in naturali communicatione fundata,super actum generationis, qua na=tura propagatur.

Consilium,est appetitus faciendi ex cogitatione. Cic.Con=silium malum,consultori peßimum.

Cõsultatio,est de rebus incertis.Nam quæ manifesta sunt, & certa,in consultationem non ueniunt.

Constantia, est uirtus, faciens firmiter persistere in bono, contra difficultatem: quæ prouenit,quibuscunque im=pedimentis: ex terroribus, alijs ab impedimento diutur=nitatis.

Consuetudo, est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. cap. consuetudo. distin=

ctio

ctione prima.

Contemptus, est transgreßio legis, ex hoc quod uoluntas rerum subijcitur legi, uel regulæ.

Contentio, est impugnatio ueritatis, cum confidentia clamoris: de qua dicitur 46. dist. in principio: Nihil est impudentius arrogantia rusticorum, qui garrulitatem, autoritatem putant.

Continentia est, per quam cupiditas consilij gubernatione regitur. Cic. in Rhet. Et est pars temperantiæ.

Contractus, est ultro citróque obligatio, ex uoluntate & pacto surgens partium, in emptionibus & uenditionibus.

Conuicium, est maledictum, cum contumelia. Cicero: Maledictum autem nihil habet propositi, præter contumeliam. inde contumeliosus.

Credulitas, est facilitas in credendo: quæ solet esse aut discreta, aut temeraria & leuis.

Criminatio, est contentiosa contumelia. Est enim crimen proprie, quod per contentionem alicui obijcitur.

Crudelitas, est atrocitas animi in pœnis exigendis: ait Seneca in libro de Clementia.

Cupiditas, est improba uoluntas. uel est inordinatus amor pecuniæ, uel effrenatus habendi appetitus.

Curiositas, est studium perscrutandi ea scire, quæ ad se non pertinent.

Cultura animi est, ingenuas disciplinas amplexari. Cultura animi, est ipsa eloquentia, quæ una est de summis uirtutibus: quæ sacra & uenerabilis, quæ rerum publicarum gubernatrix præclara esse fertur: quæ aliarum artium studijs uenit anteponẽda: qua deniq; efficitur, ut reliquis hominibus tanto studio præstemus, quanto homines bestijs antecellunt.

Lege

Lege Eloquens, lege Studium.

DE INCIPIENTIBVS à D.

Dedecus est ignominia, & ueluti infamia quædam, ita & Dedecet, pro eo accipitur, quod est inconueniens, ineptum, & turpe est.

Delectatio, est operatio habitus, secundum naturam, sine impedimento. 7. Ethicorum. Est enim uoluptas, suauitate suum animum deliniens: secundum Cice. 4. Tusculanarum quæstion.

Deliberare, est consilium mentis capere, & præmeditari. lege, Consultatio.

Depositum dicitur, quod custodiendum alicui datum est.

Desperatio est ægritudo, sine ulla rerum expectatione meliorum. Lib. 4. Tuscul. quæst.

Detractio, est occulta maledictio, ad denigrationem famæ per impositionem falsi.

Deus est infinita substantia, qui solo uerbo creauit & seruat omnia.

Deus, est incorporalis mens quæ per omnem naturam diffusa, & intenta, uitalem sensum cunctis animantibus tribuit: auctore Lactantio de ira Dei.

Diuitiæ, sunt ad necessarium usum, opes ad magnificentiam: ait Cicero de amicitia. Et dicitur diues, à diuis. Nam qui diues, quasi Deus, nullo indigere uidetur: teste Varrone.

Docilitas, est prudentiæ pars erudiendi imperitos.

Dissensio, est animorum discordia, diuersa sentientium.

Dolor, est paßio animæ, in appetitu sensitiuo, sensibus alienus.

Dolus;

Dolus est, omnis calliditas, fallacia, astutia, ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita: ut habetur libro 1. *ff.* de Dolo.

Duellum est pugna duorum, pro probatione uirtutis: ut qui uicerit, probasse dicatur: & si non uicerit, defecisse in probatione putetur.

DE INCIPIENTIBVS *ab* E.

Electio est præconciliata uoluntas, quæ est uoluntatis actio.

Eloquentia, à loquor descendit. Est autem loqui, uerba proferre. Differtque à dicendo. quoniam dicere est, eleganter & facunde loqui, quod proprium est oratoris: à quo eloquentes. Eloquentia autem, est dictio ex omni parte perfecta: unde M. *Antonius dicere solebat, Se uidisse disertos multos, eloquentem uerò neminem.*

Eloquendi uis: Hæc domina rerum, ut uos soletis dicere (*inquit* Cicero libro 2. de Natura *deorum) eloquendi uis, quàm præclara est, quámque diuina? quæ primum efficit, ut & ea quæ ignoramus discere, & ea quæ scimus, alios docere possimus. deinde hac cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos: hac deducimus perterritos à timore, hac gestientes comprimimus, hac cupiditates iracundiásque restinguimus: hæc nos iuris, legum, urbium societate deuinxit: hæc à uita immani & fera segregauit.*

Eloquentiæ hæc studia, adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis solatium & refugium præstant, domi delectant, foris non impediunt, pernoctant nobiscum, peregrinantur, & rusticantur.

Erratum excusat ingnorantiam facti, non iuris: non autem in uoluntarijs delictis.

Ethica dicitur moralis ſcientia, & Ethicus Moralis. Vnde dicuntur libri Ethicorum, de Moribus tractantes.

Erubeſcentia, eſt timor in conuitij expectatione: & dicitur à rubeo, & rubeſco. hinc erubeſco, id eſt, rubeus fio. Hæc erubeſcentia in iuuene laudanda eſt, propter rerum inexperientiam. In ſene uerò improbanda uenit, propter inexperientiam. Lege Verecundia.

Experientia, eſt rerum multarum cognitio. Eſt enim notitia ſingularium, ſicut Ars uniuerſalium.

Expoſtulatio, eſt uerborum animorúmque diſſentio, quæ contentione fit.

Exprobratio, eſt ingeſtio improperij in facie, ſicut oblocutio eſt occulta detractio.

DE INCIPIENTIBVS ab F.

Factio, eſt diuiſio ciuium in diuerſa ſtudia, cum aliqui ſe principes ac primarios facere in ciuitate conantur, inter quos æmulatio eſt: & qui eos ſequuntur, ſeditioſi dicuntur. Cicero: Inter bonos amicitia, inter malos factio eſt.

Facilis, exorabilis dicitur: ut difficile, quod non fit ſine labore. Vnde facilitas & difficultas: & difficiliter, & faciliter.

Facultas, pro opibus capitur. Item facultates dicuntur artes, & diſciplinæ, quòd per eas facilè inſtruamur, & facultas pro ui & poteſtate ponitur. Plinius: Si mihi facultas daretur, utrum malem eligendi.

Facundia, eſt iucunda eloquentia. Vnde facundus, fatu iucundus. Et dicitur facundia, à fando: & facundus, dicitur diſertus. Eſt itaque facundia, facultas diſſerendi, cum gratia, & facundè aduerbium, pro diſertè.

Fama, eſt inanis de aliqua re rumor, ſine ueri cognitione ſiue

siue bonus siue malus. & hoc tantum differt à rumore, quòd rumor semper de re recenti dicitur: fama uerò de re inueterata, firmatáque in hominum opinione. fama tamen etiam ponitur pro laude & celebritate: & sic dicimus famatus uir, non famosus.

Fatum, *est connexio & perpetuus ordo causarum & effectuum, dependens à prouidentia primæ causæ, imponens necessitatem rebus fatalibus ineuitabilem.* Et *dicitur à fando, eo quòd necessariò fiunt, quæ* Deus *fatur.*

Fœlix, *dicitur fortunatus, beatus & prosper: & fœlicitas, prosperitas.* Cuius *contrarium est infœlicitas.* Lege Beatus. Est *enim fœlicitas, secundum uirtutem hominis operatio, & in uita perfecta.*

Fides, *est dictorum & conuentorum constantia, & ueritas: dicta, quòd fiat quod dictum est. quæ quandoque dicitur sponsio, item fidelitas, item conscientia, item creditum, uel collectio creditorum, item sacramentum.* Hæc *semper seruanda est, etiam inimicis.*

Finis *hominis, secundum* Aristotelem, *est obedire rationi: hoc est, uirtutis actio.* Nam *actio cuiúsque naturæ, est finis eius.* Actio *autem uirtutis est maximè propria hominis, ergo est finis hominis.*

Finis *autem hominis* Christiani *est, obedire* Deo, *& illustrare gloriam eius.* Sunt *enim conditi homines, ut per eos patefiat* Deus. Ita *recta ratio ac* Philosophia *statuere debet, finem esse hominis, obedire* Deo. Nihil *nobis de* Epicuri *opinione, qui definit uoluptatem esse finem bonorum.*

Fortitudo *animi est aggreßio terribilium, ubi mors imminet, propter bonum commune saluandum.* 3. Ethic.

Fortuna *nihil aliud est, quàm sors.* Quid *casus, quid euentus, nisi cũ sic aliquid cecidit, sic euenit, ut uel non cadere*

atque euenire potuerit. De Diuinatione Cicero libr. 2.

DE INCIPIENTIBVS ab G.

Gaudium, est affectio animi, alicuius præsentis boni opinione concepta. Et differt gaudere & lætari. Nam lætari, est extrinsecus: Gaudere uerò, intrinsecus. Sic gaudemus nobis, gratulamur alijs.

Gloria, est frequens de aliquo fama cum laude, teste Cicerone in Rhet. Gloria est illustris ac peruagata multorum & magnorum, uel in suos ciues, uel in patriam, uel in omne genus hominum, fama meritorum.

Gratia est, in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria, & remunerandi uoluntas continetur, secundum Ciceronem in Rhet. Et est gratia uirtus specialis, reddens gratiam benefactori: secundum Theologos, sicut gratitudo.

Grauis homo, constans dicitur: Leuis autem, inconstans.

Gratus est, qui memor est accepti beneficij: & contrarium eius est ingratus. à quibus gratitudo & ingratitudo, & ingrate deriuantur.

DE INCIPIENTIBVS ab H.

Habitus, est animi qualitas, acquisita ex frequentibus actibus.

Habitatio ciuem non facit. Nam aliâs ministri & serui nobiscum habitantes, ciues essent. 3 Ethic.

Hæreticus est, qui sectam aliquam uel instituit, uel sequitur: præcipuè aduersus uerbum Dei.

Heroica uirtus est, quæ supra nos existens, omnem supergreditur humanorum uirtutem.

Historia, est rerum gestarum expositio: Annales, plurium annorum: Diarium, unius diei.

Homo est animal rationale, morti obnoxium, ad imaginem Dei conditum.

Honestas, est nobilis compositáque dignitas.

Honor, est reuerentia & dignitas, quæ quauis ex causa alicui exhibetur. Est enim maximum bonorum exteriorum 4. Ethic.

Humilitas est uirtus, qua uerißima sui cognitione, sibi ipsi quilibet uilescit. Est enim contemptus propriæ excellentiæ.

DE INCIPIENTIBUS ab I.

Iactantia, est inanis de se ac stulta prædicatio, qua quis se extollit supra id quod est.

Idea, est species & forma exemplaris, qua res fiunt & cognoscuntur: quæ est in mente artificis.

Indignatio, est paßio laudabilis, qua quis de malorum prosperitate dolet.

Indulgentia propriè est, mollis & delicata permißio. Est enim indulgere, obsequi, & aliquid, delicatè concedere: quare non significat ignoscere. Mantuanus: Blanda patrum *segnes facit indulgentia natos.*

Infamia, est, læsæ dignitatis qualitas, reprobata quantum ad uitam, & mores, per argumentum à contrario sensu. Sicut *fama est illæsæ dignitatis status, uita & moribus comprobatus, & in nullo diminutus.*

Ingratus est, qui est beneficiorum immemor acceptorum: hinc Ingratitudo.

Innocentia, est puritas animi omnem iniuriæ illationem abhorrens. Cic. in Offic.

Inuidia, est tristitia in apparẽti fœlicitate alterius. 2. Top.

 quod

quod & Inuidentia significat. Inuidiosus est, qui aliena fœlicitate torquetur.

Interesse uocatur, quod debetur alicui, uel quia damno affectus est, uel quia lucrum aliquod rcpetitum est. Ideo distinguitur interesse: aut oritur propter damnum emergens, aut propter lucrum cessans. Si debitor certo & statuto die soluit, non tenetur ad solutionem: præcipuè si damnum post solutionem accepit, & mutuationem.

Ira, est libido puniendi eius qui uidetur læsisse. Cic. Tusc. quæstionum. Iracundia uerò, est excessus iræ.

Insolentia, pro arrogantia accipitur. Inde Insolenter.

Intellectus, est uis animæ quæ inuisibilia perficit: uel, est habitus principiorum. Principia sunt, quæ aliter se habere non possunt: per se ipsa, & non per alia fidem habent: Ideo non egent probatione.

Ius nihil aliud est, quàm quod natura, uel ciuitas aut populus, uel gens, uel consuetudo iubet. Et differt à lege: quòd ius generale est, lex uerò species: & ius ad non scripta etiam pertinet, lex ad ius scriptum. Et diuiditur Ius in naturale, gentium, & ciuile. Et ideo Ius proprium ciuitatis leges, plebiscita, senatus consulta, principum decreta, sunt iura scripta.

Ius prætorium, est ius quod prætores statuerunt. Aliud est ius consuetudinis, aliud militare: Aliud pontificium, quod Romæ pontifices sanxerunt.

Ius aliquando pro loco in quo Ius redditur, in quem locum definiunt.

Iuridicum dicitur, quod secundum Ius est: ut iuridicus dies, quo rite ius dici potest: & Iuridica actio, quæ secundum ius est. Iurisdictio, facultas atque potestas iuris dicendi. nam ius dicere, est præesse iuri dicendo, & legibus gubernare, & iustitiam gubernare.

Iuris

Iurisconsulti, iuris prudentes, sunt iuris interpretes: & qui excellunt, iuris Antistites dicuntur.

Iustitium dicitur, quasi Iuris statio, iuris intermißio.

Iurare, est promittere, adhibitis testibus, ita seruaturum, ac si ius esset.

Iusiurandum, est affirmatio religiosa, quod quasi Deo teste promiseris, tibi Deum in testem uocaueris.

Iustitia, est habitus animi, per quem iustorum operationes fiunt, per quem agunt & uolunt res iustas quinto Ethicorum.

Iustitia, uirtus est, qua singuli sua secundum leges poßident. 1. Rhet. Nam iustitiæ proprium est, unicuique tribuere quod suum est. Est enim iustitia uirtutum omnium præclarißima: & ipsa est omnis uirtus. 6. Ethicorum.

Iustus est, qui legibus obtemperat, & qui reddit æquale.

Iniustus est, qui non obtemperat legibus, nec reddit æquale, & qui defraudat alterum.

DE INCIPIENTIBVS ab L.

Labor, est functio quædam uel animi uel corporis, grauioris operis uel muneris. Cic. Tusc.

Lætari. Vide Gaudere.

Leuis homo. Vide Grauis.

Lex est ratio summa, insita in natura, quæ iubet ea quæ facienda, prohibet quæ contraria. Eadem ratio cum est in mente hominis confirmata, & confecta, dicitur Lex: Cicer. primo de Legibus. Lex est neque hominum ingenijs excogitata, nec scitum aliquod populorum, sed æternum quiddam,

quod uniuersum mundum regeret, imperandi, prohibendique sapientia. Cic. lib. 2. de Legibus.

Liberalitas est uirtus, pecunijs benefactiua: cuius contrarium est illiberalitas: Lib. 4. Ethicorum. Est enim uirtus beneficiorum erogatrix, quam pro affectu benignitatem. pro effectu beneficentiam dicimus. uel, Liberalitas est mediocritas circa pecunias dandas. Nam liberalis dabit propter honestatem, & rectè quibus oportet, & quando oportet. 4. Ethic. Illiberalis est, qui dando deficit, aut accipiendo exuperat.

Libertas, est naturalis facultas eius, quod cuique facere libet: nisi quòd ui aut iure facere prohibetur. Cuius oppositum est seruitus. A liber uenit Libertus: & est is, qui cùm esset seruus, factus est liber. Inde & libertini, qui iusta seruitute manumißi sunt: sicut ingenui, qui libera matre nati, nec postea serui facti.

Longanimitas est uirtus, qua habetur animus in aliquid distans, respicítque magis spem quàm timorem, uel audaciam, uel tristitiam: sicut magnanimitas.

Luxuria, est concupiscentia explendæ uoluptatis, uel concubitus. Estq; propriè immoderata appetitio cuiuscunque rei gratæ, rationi non obtemperans. Capitúrque pro immoderata profusione. Cic. Intelligimus quàm sit turpe, diffluere luxuria.

DE INCIPIENTIBVS ab M.

Magister appellatur, qui alicui rei præ cæteris curam gerit. Hinc Magistratus dicitur superioritas ciuitatis, plurium, uel unius habentium summam autoritatem. Magistri etiam dicuntur propriè artium præceptores. transfertur tamen

men hoc nomen ad omnes, quibus præcipua cura rerum incumbit.

Magistratus magnos permittere illis, qui neque opes habent, neque uirtutum existimationem, nequaquam est tutum, propter iniustitiam & ignorantiam. 3. Ethic.

Magnificentia, est magnarum rerum, & excelsorum sumptuum effectiua. Cic. in Rhet.

Magnanimitas, est uirtus magnorum beneficiorum effectiua. 4. Ethic. Cuius contrarium est pusillanimitas. 1. Rhet.

Maleuolentia, est uoluptas ex malo alterius, sine suo emolumento: secundum Cic. Tusc. q.

Mansuetudo, est mediocritas circa iram. Aristotel. 4. Ethicorum.

Matrimonium, est legitima societas inter uirum & fœminam, in qua ex pari consensu semetipsum alteri debet: quod fieri debet uerbis de presenti.

Mendacium, est falsa uocis significatio, cum intentione fallendi: autore Augustino.

Metus: lege Timor.

Miseria, est copia tribulationum, & inopia consolationis: quando multifariè quis patitur, & à nemine releuatur.

Misericordia, est ægritudo cordis, ex miseria alicuius iniustè laborantis suscepta.

Modestia, est in animo, continens moderationem cupiditatum Cic. lib. 3. Rhet. no.

Molestus dicitur, qui alicui grauis est, nec sinit eum quiescere. à quo molestia, sollicitudo & grauitas. & molestè, grauiter: & Molesto, ango, sollicito, & quasi molem affero.

Moribus bene institutum esse oportet eum, qui de honestate & iustitia, omni ciuili rationi sufficienter sit auditurus. 1. Ethic. cap. 4.

Mors est recessus animi à corpore. Aristotel. de Pomo & morte.

DE INCIPIENTIBVS ab N.

Naufragium, est nauis fractio, rerum & corporum submersio: quod plerunque fit casu fortuito, propter uim tempestatis. Et accipitur ut plurimum pro damno.

Nobilitas, est quædam maiorum claritas. 2. Rhet. Vel est honorabilitas progenitorum. Nam attenditur secundum uirtutem generis. Nobilitas siue ingenuitas, est uirtus & diuitiæ antiquæ. 4. Pol.

Nouos conscribere patres periculosum est: cum sæpe accidat aut electione mala, aut factione ciuium, seditiosos homines, aut gerendis rebus parum aptos, atque inutiles creari magistratus. Caueantur, qui rerum omnium premuntur inopia.

DE INCIPIENTIBVS ab O.

Obedientia, est uoluntatis propriæ subiectio ad Deum & hominem, cum debita reuerentia minoris ad maiorem.

Obseruantia est, per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam & honore dignantur. Cic. in Rhet. Huius contrarium est Despicientia, cum quadam animi auersione.

Oeconomia, est dispensatio rei domesticæ. Hæc autem est prudentia, rectiua multitudinis, unius familiæ: cuius finis est ultimus, totum bene uiuere, secundum domesticam conuersationem.

Odiosus sæpe pro molesto accipitur: Odium enim est beneuolentiæ oppositum.

Officium, est actus congruus cuiusque personæ: uel est, quod

quisq

quisque efficere debet, pro suæ conditionis & personæ ratione, in quo animaduertere debet, quid loco conueniat, quid tempori, quid rerum aut personarum dignitati.

Opinio est actus intellectus, declinantis in unam partem contradictionis, cum firmitudine alterius partis. Hæc opponitur scientiæ, sicut suspicio: quæ non dicuntur uirtutes, quia sunt principium mali, quod est contra rationem uirtutis.

DE INCIPIENTIBVS à P.

Parens est non modò pater & mater, ut uulgus putat, sed auus proauus, auia & proauia. Quinetiam Caius Iurisconsultus sentit, omnes superiores parentis appellatione contineri.

Parcus est qui dando deficit: & tenax nominatur.

Parsimonia est, qua animi, honesti & utilis causa, ne dispendium faciant, & bona sua operum nomine uel facultatum appellata, inutiliter, inhonestéque consumant, sed tueantur, atque prudenter custodiant, gubernantur.

Patientia, est uirtus, contumeliarum & omnis aduersitatis impetus æquanimiter portans: secundum Cic. in Rhet. Patientia est honestatis & utilitatis causa, rerum arduarum & difficilium uoluntaria ac diuturna perpeßio. Ibidem Cic.

Patria, est urbis seu oppidum, unde orti siue oriundi sumus: dicta, quòd communis omnium parens sit. & aliquando prouincia ipsa ex qua orti sumus, patria dicitur.

Pecuniæ nomen à pecu maiores nostri deduxere. sunt autem cuncta pecuniæ ipsius uoce accipienda, quæ nummo censentur: ut Aristoteli ac iurisconsultis placet.

Plebs, quam communitatem, turbam, populum, seu uulgus uocant, est bestia multorum capitum, hydræ persimilis:

cui

cui si abscinditur caput unum, subcrescunt alia septem. Vide Vulgus.

Politica, *est scientia de regimine ciuitatis.* & Politicus. *ciuilis.*

Perseuerentia, *est in ratione bene instituta, stabilis & perpetua permansio.* Cic. in Rhet.

Præscriptio, *est antiqua sensuum ac iusta possessio: & illa excusat conscientiam.* Nam *cum lex magis sit domina rerum nostrarum, quàm ulli priuati domini, & sit ordinatio diuina: sequitur eos ordinatione diuina & iustè dominos fieri, quibus lex attribuit res.* Lex *itaque constituit dominia præscriptione, ne in infinitum sint certa dominia, & infinitæ lites.*

Priuilegium, *est priuatum ius indultum contra ius commune.* Est *enim priuata lex, quia respicit singulares personas.*

Prodigalitas *est incontinentia: ob intemperantiam, pecuniarum profligatio.* 4. Ethic.

Prosperitas, *est fœlicitas, & ad uotum successus.* Venit *autem à spe.* Vnde *& prosper, fœlix: hoc est qui spem nostram implet.* Vnde *prospera, sidera, tempora, loca, fines, actiones, successus.* Item *fœlix, qui spe sua potitus est.*

Proteruia, *petulantia est.* Nam *proteruus, petulans, procax, hæc tria multum similia sunt, quandam enim lasciuiam libidinémque declarant, tum iniuriam in dictis & in factis.* Dictus *proteruus, in quo impudens & arrogans, audacia proterendo: qui omnia sub pedibus esse uelit, & cui nullus sit pudor in petendo & audendo.*

Prouidentia *est, per quam futurum aliquid uidetur, antequam factum sit: secundum* Cic. *in* Rhet. Est *enim prouidentia, notio, futurum pertractans euentum.* Cuius *officium est,*

est, ex præsentibus futura perpendere aduersus aduenientem calamitatem se consilio præmunire: secundum August. *de spiritu & anima.*

Prouidentia Dei, *est ipsa diuina ratio, qua is cuncta præterita & futura uidet & cognoscit.*

Pudicitia *est animi uirtus, qua quis uerecundatur, ut sunt actus uenerei: secundum* Aug. *lib.* 4. de Ciuit. Dei: *& dicitur à pudore.* Est *autem*

Pudor, *timor iustæ uituperationis, sicut uerecundia.*

Pulchritudo, *est corporis quædam apta figura membrorum, cum coloris quadam suauitate: secundum* Cic. *libr. Tusc. q.*

Puellæ *nuptui tradi debent, circa ætatem* XVIII. *annorum.* Masculi *ducere uxores circa* XXXVI, Iuuenes *post* VII. *annos dandi scholis.*

Pusillanimitas *opposita magnanimitati, secundum defectum: præsumptio autem, secundum excessum.* Pusillanimitas, Aristotele *teste, est uitium, quo impotentes uidentur animi, ad fœlicitatem, infœlicitatémque, honorem & dedecus sustinendum.*

Prudentia *est recta ratio agibilium: 6.* Ethic. Vel *est mentis uirtus, qua de bonis ac malis quæ ad fœlicitatem pertinent bene possumus consulere.* Arist. 1. Rhetoricorum.

Prudentia *est uirtus dirigens ad rationis normam uniuersa quæ cogitat, quæq; agit, ac nihil præter rectum uel laudabile facit.* Partes *eius sunt:* Ratio, intellectus, memoria, *circunspectio, prouidentia, docilitas, & cautio.* Quid *autem sit unaquæque harum, suo loco uideri potest.*

DE INCIPIENTIBVS *ab* R.

Ratio *est affectus mentis, quæ bonum malúmque discernit,*

uirtu

uirtutes eligit,Deum diligit: authore Augustino lib. de Spiritu & anima. Nam ratio,ut est pars prudentiæ,est discursus intellectus,quo applicantur uniuersalia principia agibilium, ad particularia.

Rector mundi unus est,atque gubernator beatificus, innominabilis,ultramundanus,qui solus cuncta ratione dispensat,uirtute gubernat,nutu moderatur.

Reminiscentia est inquisitio eius quod excidit à memoria: & prior ea est tantum in parte sensitiua, & tantum in homine.

Respublica est paucorum potestas,in qua censu magistratus declaratur. 1. Rhet. Et est respub. authore Augustino de ciuitate Dei,res populi.

Respublica, est eorum qui in ciuitate degunt institutio, uel ordo. Differunt autem Respub. & res familiaris: quoniam in Republica plures imperant, in re familiari uerò unus duntaxat est imperator & rector.

Reuerentia,est honor exhibitus in testimonium uirtutis: & illa reuerentia, quemadmodum honor, non est in honorato,sed in honorante:hoc est in potestate honorantis.

DE INCIPIENTIBVS *ab S.*

Sacramentum apud ciuiles est, quod iurisiurandi sacratione interposita geritur: unde sacramentum militare dicitur.

Sacerdos est is, qui Deo dicatus est, ad sacrificia facienda: à quo Sacerdotium, ipsum sacerdotis munus, officiúmque.

Sagacitas, siue Synesis, est prudentia, seu rerum ge-

rendarum ſcientia.

Sacrilegium, eſt ſacræ rei uiolatio, ſeu urſurpatio. Et accipitur uiolatio pro quacunque irreuerentia, aut dehonoratione.

Sanctitas eſt, ſcientia colendorum deorum: ſecundum Ciceronem Libr. 1. de Natura deorum.

Sapientia, eſt multarum & mirabilium rerum ſcientia 2. Rhetoric. Ciceron. Et ſecundum Ariſtotel. 1. Metaph. eſt cognitio primarum & altiſsimarum cauſarum. Cuius contrarium eſt inſipientia.

Scientia eſt habitus demonſtratiuus: 6. Ethicorum. Eſt enim determinatio intellectus ad alteram partem, cum certitudine.

Seditio, eſt mutua impugnatio inter partes multitudinis, uel præparatio ad pugnam: Rixa uerò eſt unius ad unum, uel paucorum ad paucos. Sed bellum eſt inter diuerſas multitudines: & utrumque eſt pugna, in actu.

Seditio eſt, cum in populo ſecum diſcordante, res ad manum uocatur: qualem ciuitatis ſtatum Virgilius deſcribit primo Aeneidos. Ac ueluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt Seditio.

Senectus, eſt occaſus uitæ: authore Cicerone in Topicis.

Sententia, eſt prudentiæ ſpecies, qua lex à nullo deficit, & rectè iudicat.

Seruitus eſt inſtitutio Iuris gentium, quia quaſi domino alieno contra naturam.

Seruus eſt, qui miniſtrat uni neceſſaria: qui autem publicè, uiles & ſordidi ſunt.

Simplicitas, eſt uirtus, ad quam pertinet, directè ſe præſeruare à deceptione.

Simulatio eſt propriè mendacium, in ſignis factorum

exte

exteriorum.

Societas,est duorum pluriúmue coniunctio, contracta ob commodiorem usum, & uberiorem quæstum.

Societas, est maximè secundum naturam, mari & fœminæ: quæ diuina prouidentia, utriusque natura ordinata est.

Solertia, est inuentio medij, in non prospecto tempore 2. Post. Est enim solers, quasi omni tempore prudens. Cuius contrarium est Iners, quasi sine arte. uide Inertia.

Sollicitudo, est ægritudo animi cum cogitatione. Cicer. T. q. Est enim rationale studium, ad aliquid consequendum.

Sponsalia sine consensu parentum facta, non debent esse rata: quia parentes non debent priuari iure suo naturali, licet authoritate pontificum sæpe secus fieri solet, ubi tunc contrahentes, dote priuari possunt.

Summum bonum hominis est secundum uirtutem optimam & perfectißimam, in uita perfecta, in qua beatitudo non consistit: cum nemo in uita sit beatus. Solus Deus est summum bonum. 1. Ethic.

Superbia est peruersæ celsitudinis appetitus, secundum Augustinum. Est enim amor propriæ excellentiæ.

Superstitio, est uitium religioni oppositum, seu contrarium.

Suspicio est acceptio unius partis, cum fortitudine alterius. secundum Ciceronem Lege Opinio.

Stipendium est æs militare, dictum à stipe: hoc est, nummo pendendo.

Studium, est uehemens applicatio animi circa magna, cum uoluntate ad aliquid agendum. Cic. 1 Rhet. Studiosum autem esse, est uirtutes habere. quare dies ac noctes studio impendere oportet: hoc sit ocium nostrum, hoc negotium: in hoc labor, in hoc quies reponatur. lege Cultura.

Stultitia

Stultitia est in factis dictísque per ignorantiam recti ac boni erratio.

Stuprum est illicita uirginum defloratio, sub parentum cura existentium. id aliquando pro incestu ponitur.

DE INCIPIENTIBUS à T.

Tabellio est publica persona, habens officium scribendi. Tabellarius autem, qui literas defert.

Taciturnitas est, qua mente circumspiciẽtes quid deceat, quid non, silent cogitabundi, nec putant proferendum, antequam maturè cuncta adamußim disputent, ne ex ore magis quàm è pectore erumpat oratio. Huius oppositum est linguacitas. Vnde dicaces, locutuleios, blaterones, lingulaces, & futiles, à ueteribus sunt nominati.

Tacere melius est, quàm malè loqui. Vnde dici solet, Nil tacuisse nocet, sæpe nocet esse locutum.

Temeritas est, cum inconsiderata dolorũ perpeßione, gladiatoria periculorum susceptio. 4. Rhet. Et est species imprudentiæ, quæ fit cum præcipitatione mentis.

Tenues homines in Rempub. non recipiuntur: ex magno enim censu ad honores Reipub. peruenitur.

Temperantia est, rationis in libidinem, atque alios nõ rectos impetus animi, summa & moderata dominatio. Cicer. in Rhet. Cuius partes sunt, continentia, clementia, & modestia. Est enim temperantia, moderatio cupiditatum, rationi obediens: quia est mediocritas circa uoluptates corporis. 3. Ethicorum. Cuius species sunt 5. Abstinentia, sobrietas, pudicitia, castitas, uirginitas. Cuius cõtrarium est intemperantia.

Timor est metus mali impendentis: siue expectatio mali. 2. Ethic. Fit enim ex imaginatione futuri mali dolorem inferentis. 2. Rhet.

Tyrannus est dominatus unius, ad proprium commodum. 4. Polit. Et differt à Rege. quia tyrannus est, qui quod sibi conferens est, pro suo æstu facit: rex uerò, quod est utile subditis. 8. Ethic.

Tristitia, est apprehensio disconuenientis, in appetitu intellectiuo, uel uolitiuo nobis nolentibus, euenientis. Tristitia igitur inter omnes animæ paßiones, maximè corpori nocet. Ideo tristitiam, si potes, non admiseris: si non potes, omnibus non ostentes.

Turba. lege Plebs.

Tumultus, est perturbatio tanta, ut maior timor oriatur. Et tumultuarius est, qui turbas excitare solet.

DE INCIPIENTIBVS ab V.

Vectigal est, id quod præstatur ex rebus quæ uenduntur. Est etiam uectigal, quod soluitur uectori, siue aurigæ.

Vehementia, est quædam acritudo, dicta à ui & impetu mentis: secundum Gellium.

Verecundia, est timor neglectionis, uel dedecoris. 4. Ethi. Est pulchra uirtus, & suauis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus, ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus. Ambros. 2. Offic.

Veritas est, per quam immutata ea quæ sunt, aut fuerunt, aut futura sunt dicuntur. Cic. in Rhet. De Inuen. lib. 2.

Virginitas est, per puram continentiam, ab omni concubitu immunis, & in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio: authore August.

Virilitas idem est, quod fiducia: ideo est pars fortitudinis. Nam à uir uenit uirilis, fortis, magnanimus: ita & uirago, mulier fortis, quò uiro similis sit.

Virtus

Virtus heroica, est uirtus supra nos excellens, secundum dignitatem & excellentiam, qua excedit humanam, circa uirtutum studia, consuetudinem.

Virtus est affectio animi, constans, conueniénsque, laudabiles efficiens eos in quibus est: & ipsa per se sua sponte separata, etiam utilitate laudabilis secundũ Cic. in Rhet. Est enim mediocritas duorum uitiorum, alterius secundum excessum, alterius secundum defectum. 2. Ethic.

Vitium est, quod uirtuti opponitur: & est habitus animi, naturæ, non rationi repugnans. Nonnunquam sumitur pro errore. Plinius: Librum uitiis plenum. Est itaque uitium habitus, aut affectio animi in tota uita inconstans, à se ipsa dissentiens: authore Cicerone.

Voluntas, est appetitus boni, cum ratione. Lib. 1. Rhet. Voluntarium autem est, cuius principium est in ipso sciente. 3. Ethic. Inuoluntarium est, quod per uiolentiam, aut ignorantiam factum imputabile non est.

Voluptas, est iucundus motus in sensu. Cic. libro secundo, de Finibus bonorum & malorum. Cuius contrarium est Dolor.

Vrbanitas, est morum ciuilitas, qua significamus propriũ quendam gestum urbis, & sumptam ex conuersatione doctorum tantum eruditionem.

Vsura est, lucrum ex mutuo pacto debitum, uel exactum. Vel, Vsura est, quodcunque solutioni rei mutuæ accedit, ipsius rei usus gratia pactione interposita: uel hac intentione habita post contractum. Est enim usura, quicquid præter sortem accedit, sine iusto titulo, siue sit in mutuis, siue in contractibus.

Vsura itaque est pretium pecuniæ mutuatæ, uel cuiuscunque rei, cuius usus est consumptio, uel distractio eius.

Vulgus, est propriè ignobilis multitudo. Virg. Sæuitque animis ignobile uulgus, Est enim ignobilis multitudo, à uoluẽdo dicta, quòd stultè huc atque illuc uoluatur. Hinc uulgaris dicitur. hoc est, uilis, & communis.

Voluntas libera, est hominis externa agendi libertas, & naturalis actio & illa in rebus humanis, est libera: in spiritualibus non itẽ. & in naturalibus, non penitus insidens concedat. Non est igitur in potestate nostra, bene agendi libertas: sed in gratuita gratia, & dono Dei.

SEQVVNTVR AVREA ISOCRATIS AD

Demonicum decreta, ad ordinem Alphabeti redacta,

Quæ olim maiores nostri, quemadmodum, & reliqua Sapientum dicta Moralis Philosophiæ loco vsurparunt.

ISOCRATIS AD DEMONICUM parænesis. præceptio, seu admonitio: quas res oporteat adolescentes desiderare, & quæ rursus opera vitare: qualibus item se hominibus coniungere, & quomodo suam ipsorum vitam instituere, docens.

A Rodolpho Agricola, viro doctissimo, è Græco sermone in Latinum traducta, & hîc in Alphabeti seriem redacta. Sed quoniam quidẽ omnes ferè antiquissimi Ethnici Philosophi. frugíque omnium bonarum artium authores, hominum mores vitámque instituentes, inprimis deos colere docent, parentes obseruare, & amicos. non immeritò Isocrates hic noster inquit.

Primum

PRimùm quidem piè diuina colas, non solum sacrificans, uerūetiam quod iuraueris praestans: illud enim affluētiae opum est signum, hoc morum probitatis indicium. Numen igitur uenerare semper quidē, praesertim quod ciuitas colit: sic enim uideberis sacra Deo facere, legibúsque obtemperare. Deum igitur time. parentes honora: Amicos reuerere, legibus obedi: uoluptates sectare, gloriae iunctas. oblectatione enim cum honestate nihil melius, sine illa uerò nihil est peius. Reliqua literario ordine leges, ab A litera orsurus.

A

Adolescentum probitas istis uidetur comprehendi: Modestia, pudore, iustitia, temperantia.

Ama rerum non immensam possessionem, sed moderatam perfruitionem.

Amicis cunctis te benignum praebeas: neque crebrò conuenias eosdem, neque diu cum eis agas. Satietas enim est omnium.

Amicum nullum fac, nisi exploraueris antè quo pacto sit usus prioribus amicis. Spera nanque erga te futurum talem, qualis & erga illos fuit.

Amicus tarde fias: factus autem, da operā ut permaneas. tantundem enim dedecoris est, & nullum amicum habere, & crebros subinde amicos mutare.

Amicos neque cum damno probes, nec inexpertus ipsorum esse uelis: hoc autem faciens, & cum nullius indigeas te simules indigere, & illa quae uulgari nihil referat, ueluti occultanda concredas. Deceptus enim opinione, nihil offendes: non deceptus, mores illorum rebus fictis nosces.

Amicos proba & ex uitæ aduersitate, & ex periculorum societate. Aurum enim igne perspicimus, amicos uerò inter aduersa cognoscimus.

Amicis hoc pacto uteris commodißimè, si nondum ab eis rogeris, expectes: sed pollicens ultrò ipsis in tempore succurras.

Aequè putes turpe, & ab inimicis superari iniuriis, & ab amicis superari beneficiis. in familiaritate, proba non solum malis tuis indolentes, uerumetiam bonis non inuidentes. multos enim qui cum infœlicibus mœrent, prosperitate illorum inuidia torquet.

Amicorum absentium fac memineris apud præsentes: ut rationem istorum quoque absentium habere uidearis.

Amicitiam quorum tibi conciliare uelis boni quippiam de eis prædices, apud illos qui sunt renunciaturi. Principum enim amicitiæ, laus: inimicitiæ, uituperium, seu conuicium.

Amicos si amplexus fueris, qui ad peßima gratificantur: non habebis unquam, qui tibi ad ea quæ sunt optima sequendum obsistant.

Adulantes auersare, perinde atque fallentes. utrique enim, cum eis fides habetur, iniuria afficiunt eos qui sibi crediderunt.

B

Benignum te præbeas cunctis, optimis autem utaris: sic & illis inimicus non eris, & istis amicus fies.

Bonis bene fac. honestus enim thesaurus est gratia, quæ à bono uiro debetur.

Bene feceris si malis: simile tibi continget, quod qui alienos canes pascunt. illi enim danti, sicut temere occurrenti allatrant: mali quoque eos qui prosunt, sicut qui nocent, similiter

liter offendunt.

C

Comis fac ut sis moribus, uerbis autē affabilis. Est autem comitatis, benignè obuios appellare: affabilitatis, familiariter cum ipsis uerba communicare.

Comem te præbeas, quibus cum conuerfaris, & non insolentem. superborum enim fastum uix serui quoque perferēt: at morum comitatem, cuncti benigniter acceptant.

Comis autem eris, si neque iurgator sis, neque implacidus, neque cum omnibus contendas: neque iræ eorum cum quibus agis, celeriter occurras, neque si iniustè quidem fuerint irati: sed efferuescentibus concedas: deinde ipsos, ubi relanguerit ira, reprehendas. Neque inter ridicula seriis, neque inter seria ridiculis gaudeas. Intempestiuum enim, ubique est molestum. Neque ingratè gratiam ineas, quod multis euenit, qui faciunt quidem, sed ægrè, cum amicis inseruiunt. Neque cupidus fueris uel culpandi, quia graue est: uel castigandi, quia est acerbum.

Calamitatem nulli exprobraris: communis enim est fortunæ, & futurum incertum.

Corpus laboribus exerce, animo pericula subibis: neque extra modum diuitias expete: præsentibus fruere bonis, ueluti mortalis: geràsque curam futurorum, ueluti immortalis: neque contemptè uitam instituas, sed eleganter.

Consulturus alicui præterita sumas in exemplum futurorum. Latens enim, ex eo quod apertum est, expeditissimè poteris cognoscere.

Consulturus super rebus tuis, cum aliquem in consilium tibi adsumes, considera primo, quo pacto suas ipse res gessit. Qui enim male administrauit suas, nunquam bene consulet in alienis.

Consulendo ita poteris maximè excitari, si calamitates, quas affert temeritas, spectes. Sanitatis nanque tunc præcipuè curam habemus, cum ualetudinis aduersæ dolorum recordamur.

Consentaneum puto perinde malis non credere, quemadmodum fidem bonis habere.

D

Diuitiarum studio occupatos contemne, atque iis quæ habent uti nescientes. Simile nanque contingit illis, quod equum possidenti bonum, & equitare nescienti.

Diuitias adnitere tibi, pecunias scilicet, atque possessiones apparare. Sunt autem pecuniæ illorum, qui rectè ipsis frui sciunt: Possessiones, qui ipsis uti queunt.

Dicturus quicquid es, prius apud animum tuum expende. Multorum enim cogitationem lingua præcurrit.

Dicendo duo tempora tibi deputa: uel cum sint aliqua de quibus exploratum habeas, uel de quibus dicere est necesse. In solis enim istis, potior est silentio sermo: in reliquis melius fuerit tacere, quàm loqui.

Disces multa, si cupidè didiceris: quorum habes doctrinã, ea meditationum custodia cures. At quæ nescis, ea præceptis adiunge, doctrinis. Aequè nanque turpe est, eum qui utilem audit orationem, non addiscere: & cui datur ab amicis munus aliquod, non recipere.

Dedecus magis uites, quàm periculum. oportet enim malis formidabilem esse finem uitæ: probis uerò, uitam cum turpitudine coniunctam.

E

Exercitationibus corporis firma te, non iis quæ robori, sed quæ sanitati conducant. id assequeris, si desinas laborare, tolerando adhuc labori sufficiens.

Exerce

Exerce spontaneis te ipsum laboribus, ut adactos quoque perferre queas.

F

Facultates quas habes, dilige duas ob causas: ut & magnum aliquod damnum resarcire, & amicis probis laborantibus possis opem ferre: ad reliquum uitæ usum nõ plus æquo, sed moderatè ista concupisce.

Familiaritate proba amicos, lege inimicos.

G

Gaude, cũ tibi contigerint bona: moderatéque dole, si tibi inciderint mala. neutrius tamen animi in alijs uelis esse manifestus. Absurdum enim est, reconditas in domibus opes asseruare, & cogitationem in propatulo positam circunferre.

H

Humanarum rerum puta nihil esse firmum: ita neque in prosperis lætitia gesties, nec in aduersis dolore concides.

I

Iusiurandum adactum propter duas accipito causas, uel ut te ipsum turpi crimine exoluas, uel ut amicos tuos à magnis periculis serues: pecuniarum autem gratia nullum numen iuraueris. Videberis enim alijs peierare, alijs pecuniarum cupidus esse.

Iter non pigeat longum facere, ad eos qui conducibile aliquid docere profitentur. Turpe nanque fuerit mercatores tanta transire maria, quo cumulatiores suas opes efficiant: Adolescentes uerò, ne terra quidem sustinere proficisci aliquò: quatenus meliorem suam faciant mentem.

Ira talis sis aduersus peccantes, qualis delinquenti tibi esse alios uelles in iucundis.

Inhonestam nullã rem neque dicto, neq; facto iuueris. Videberis enim ipse talia facere, qualia facientes alios tueris.

Iniustitia quibus lucro est, neminem tibi iunxeris eorum: sed potius eos, qui propter iustitiam ferunt iacturas. Iusti enim, & si nulla alia re superent iniustos, honesta tamen spe ipsos antecellunt.

L

Legibus obsequere, quas reges statuunt: firmissimam tamen legem, mores illorum putes. Sicut enim qui Rempublicam gubernat, opus habet populum obseruare: ita sub principatu uiuentem, ita maximè regem decet honorare.

Laborum ut sis corpore patiens, da operam: animo sapientiam appetens; ut illo perficere possis decreta, hoc decernere facienda.

Loqui quibus de rebus te pudet, uísque cum amicis aliquibus de eis conuenire, uerbis ueluti de aliquo negocio utere: sic & illorum sententiam nosces, téque ipsum haudquaquam manifestum reddes.

M

Modestiam tanto meliorem immodestia putes, quantum est, quod alia quidem omnia peruerse facta lucro sunt eis qui illa admittunt: sola autem immodestia damno afficit eam habentes. Plerunque enim quos uerbis affecerunt, illis rebus pœnas luunt.

Magistratu præditus, nemine ad obeundum ministeria malè utere. quæ enim ille deliquerit, eorum in te culpa referetur. Ex publicis administrationibus abeas, non opibus cumulatior, sed gloria honestior. multis enim opibus præstantior est multitudinis laus.

Meliora quæras, & amplectere præsentia.

N

Numen uenerare semper. &c. ut suprá.

Nemini dixeris quæ nolis efferri, nisi tantum modo expediat

dat ea taceri, & tibi dicenti & illis qui audierunt.

Neminem tibi iunxeris eorum, quibus iniustitia lucro est.

O

Obtrectationes deuites: quæ tametsi fuerint falsæ, uulgus autem ueritatem ignorat, opinionémque potius spectat.

Occultando sic facito cuncta, uelut neminem celaturus. Tametsi enim parumper occultes, postea tamen detegeris.

Ocium uitæ studio percipiendæ eruditionis impende. Sic enim difficulter ab alijs inuenta, facile tibi percipere continget.

P

Parentes erga talem tete exhibeas, quales exhibere se tibi uoles ex te progenitos.

Præceptionum multitudinem puta, multum opibus esse potiorem. Istæ enim celeriter dilabuntur: illæ in omne permanent tempus. Sola enim rerum omnium immortalis est sapientia.

Potandi consuetudinem in primis caue. quòd si quando tulerit tempus, ante ebrietatem surge. Cum fuerit mens uino corrupta, patitur idem quod currus solent, qui suos effuderunt aurigas: illi nanque nullo ordine (suis destituti rectoribus) feruntur. Animus quoque plurima peccat, ratione subuersa.

Prosperitatem contingere à Deo puta, à nobis ipsis prudentiam.

Paupertatem elige iustam potiùs, quàm diuitias iniustas. Tanto enim præstantior est opibus iustitia, ut illæ solis diuitibus prosint, hæc uerò defunctis etiam gloriam præstet:

& illæ

& illæ paßim improbis contingant, hæc malis prorsus sit inaccessa.

Prouidus sis, omniúmque curam gere, quæ ad uitam pertinent: maximéque omnium prouidentiam tui ipsius exerce. maximum enim in minimo est, mēs bona in humano corpore.

R

Regum imitare mores, illorúmq; uitæ rationem sectare: ui deberis enim amplecti illos, uel æmulari. itaque apud multitudinem tibi maiorem continget laudem adsequi, & constantiore regum beneuolentia perfrui.

Risu non sis procliuis, neque in uerbis confidens. illud enim stulti est, istud furentis. Quæ factu turpia sunt, ne dictu quidem putes honesta.

S

Superior ut alijs esse poßis, sic te compara: sis tamen æquo contentus, ut iustitiam uidearis expetere, non propter imbecillitatem, sed propter æquitatem.

T

Temperantiam serua. Nam à quibus turpe est animum uinci, eorum omnium temperantiam exerce: Lucri, iræ, uoluptatis, doloris. Id autem continget, si lucrum putaueris id quo gloriam augeas, non quo diuitijs addas.

Tacenda quæ nolis efferri, nemini dixeris: nisi tantundē expediat ea taceri, & tibi dicenti, & illis qui audierunt.

Tristis esse non assuescas, sed cogitabundus. propter illud enim ferox, propter hoc prouidus esse, crederis.

Turpe æque putes ab inimicis superari iniurijs, & ab amicis superari beneficijs.

V

Verborum magis quàm pecuniarum deposita tuere. Decet nanque uiros iureiurando se fideliores præstare.

Verbis

Verbis nō quibuſque confidas. furentis enim, & ſtulti eſt.

Voluptates ſectare, gloriæ iunctas. Oblectatione enim cum honeſtate, nihil eſt melius: ſine illa uerò, nihil eſt peius.

Vulgus ueritatem ignorat, opinionémque potius ſpectat.

Veſtitu elegans, non ſplendidus eſſe uelis. Eſt autem elegantis quidem magnificum, ſplendidi uerò eſſe profuſum.

Vitam in primis conare in tuto collocare. quod ſi tamen contigerit in periculum te deuocari, quære in bello ſalutem, cum honeſta opinione, & non cum pudenda fama. Mori nanque prouidentia decreuit: ſed honeſta uita decedere, id bonis tantum uiris proprium natura conceßit.

AD LECTOREM.

Sed de his hactenus. hæc itaque collectanea noſtra æquo animo admitte, optime lector, rogo. Sin autem quid comperies, quod tuæ ætati & ſtudio minus competit, ſúſque déque feras. Non enim omnia poſſumus omnes. Bene uale.

LVCII ANNAEI SENECAE, DE MORVM VRbanitate, dicta pulcherrima ad iuuentutis vſum diligenter ſelecta.

CVM huic labori noſtro finem imponere uellem, chare lector, ſuggeßit mihi animus, ne Senecæ dicta, quæ morum urbanitatem, uirtutúmque moralium deſcriptionem liquidò docent, noſtróque labori quadrant, prætermitterem: quorum non pauca in libello de Quatuor uirtutibus

Annot. Libellus de quatuor virtutibus nō eſt Senecæ, ſed martini Epiſcopi Dumiēſis qui claruit, 540. à natiuitate.

in ſcripto inſeuit. Quare hæc quoque paucis, legentibus inuentu ut ſint aptiora, in ordinem redegi, hoc pacto.

A

Autoritas dicentis moueat te: nec quis dicat, ſed quid dicatur, attende.

Altiori rei te non applices, & altiora te non quæſieris.

Adſcribes tibi non ea, quæ non feceris: nec maior quàm es, uideri uelis.

Adulationes ſi continens es, euita: sitque tibi tam triſte laudari à turpibus, quàm laudari ob turpia.

Audax non eris, nec atrox, nec pertinax: ſummittes te, nõ proijcias, dignitatis grauitate ſeruata.

Admoneberis libenter, & reprehenderis patienter. Aduerſitatibus actus, eſto firmus. In proſperis cautus, & humilis occultator uirtutum ſicut alij uitiorum.

Ablata aliena reſtitue.

B

Bona eſſe duplicia ſcias. quædam enim ſunt quæ uidentur eſſe bona, & non ſunt. Et quædam non uidentur eſſe bona, & ſunt. Quæcunque autem de tranſitorijs poßides, non mireris, nec magni pretij exiſtimes, quia caduca ſunt. Nec apud te quæ habes, tanquam aliena ſeruabis: ſed pro te tanquam tua diſpenſes, & tanquam tuis ſemper utere.

Boni eſt uiri, etiam in morte neminem fallere.

Benignus eſto cunctis, blandus nemini, paucis familiaris.

Bonæ famæ, neque tuæ ſeminator, nec inuidus alienæ.

C

Cauſam cuiuſque facti inquire: & cum initia rerum inueneris, exitus cogitabis.

Cogitationes inutiles, & uanas, uelut ſomnio ſimiles, non in men

in mentem recipias: quibus si animus tuus se oblectauerit, cū omnia bene disposueris, tristis remanebis.

Cogitatio igitur tua stabilis & firma sit siue deliberet, siue quærat, siue contempletur, & nunquam redeat à uero.

Consilia salubria tunc tibi aduoca, cum tibi alludit huius uitæ prosperitas: tunc te ueluti in lubrico retinebis, aut sistes.

Continentiam si diligis, superflua circuncide, & desideria tua in animum constringe.

Considera tecum, quantum natura poscat, & non quantum cupiditas expetat.

Continens si fueris, eò usque peruenias, ut teipso contentus sis. Nam qui sibijpsi satis est, cum diuitijs natus est.

Concupiscentiæ tuæ impone frænum: & omnia blandimenta, quæ occulta uoluptate animum trahunt, reijce.

Conuiuio obserua te: nec uel in qualibet uitæ communitate imitaberis, quos damnare uidearis: nec præsentibus delicijs inhærebis, nec desiderabis absentes.

Continentiæ si studes insudare, non habita amœnè, sed salubriter: nec dominum uelis esse notum à domo, sed domum à domino.

Continentiam si diligis, turpia fugito, antequam eueniant.

Continentiæ difficillimum opus est, assentationes adulatorum repellere, quorum sermones animum quadam uoluptate resoluunt. Nullius per assentationem amicitiam merearis, nec ad tuam promerendam gratiam, per hanc ad te aditum alijs præbeas.

Contendenti facile cede.

Conti

Continens si es, animi & corporis tui motus obserua, ne indecori sint: nec illos ideo contemnes, quia latent. Nam nihil differt, si nemo uideat, cum tuipse uideas.

Clementiæ sis cultor, sæuitiæ detestator.

Controuersiam ex nulla uocis ambiguitate nectas, sed animi qualitatem speculare: nihil tibi intersit, an affirmes, uel neges.

D

Disce id, quod scire potes.

Dicentium esto tacitus auditor, auditorum promptus repetitor. Te quærenti facile responde.

Doctrinam quam nosti, sine arrogantia postulanti impartire: quæ nescis, sine occultatione ignorantiæ tibi postulanti impartire.

Dubium non definias, sed suspensam tene sententiam.

E

Ede citra satietatem, bibe cum sobrietate.

Ebrietatem uita.

Exiguæ si tibi sint res, non tamen sint angustæ. Ne tuæ defleas, nec aliena mireris.

Errori facile dato ueniam.

Aequus omnibus esto: seuerior iudicio, quàm sermone: uitáque, quàm uultu.

I

Inexpertum nihil affirmes, quia non omne quod uerißimile est, statim uerum est: sicut & sæpiùs, quod primùm incredibile uidetur, non continuò est falsum.

Ignoscere, est magnum & honestum uindictæ genus.

Iocos ergo si tempus exigit, hos quoque cum dignitate sapienter gere: ut te non grauet quispiam, tanquam asperum: nec contemnat, tanquam uilem.

Impru

Imprudentiam nullius deſpicias.

Iuſtitia eſt tacita naturæ conuentio, in adiutorium multorum adinuenta.

Iuſtitia non eſt noſtra conſtitutio, ſed diuina lex & uinculum ſocietatis humanæ. In hac autẽ non exiſtimamus quid expediat: expedit enim illa quicquid dictauerit.

Iuſtitiam quiſquis ſectari deſideras, primò Deum time, & eum ama, ut ameris ab eo. Amabilis autem eris Deo, ſi in hoc illum imitaberis ut omnibus uelis prodeſſe, nulli nocere. Et tunc cuncti appellabunt te uirum iuſtum, & omnes te ſequentur, uenerabuntur, & diligent.

Iuſtus ut ſis, non ſolùm non nocebis, ſed etiam nocentes prohibebis. Nam nulli nocere, non eſt iuſtitia, ſed alieni abſtinentia.

L

Lætior eſto, quoties diſplices malis: & malorum de te exiſtimationes paruas, ad ueram laudationem tibi adſcribe.

Lauda parce, uitupera parcius. Nam ſimiliter reprehenſibilis eſt nimia laudatio. Illa ſiquidem adulatione, iſta uerò malignitate ſuſpecta eſt.

M

Mobilis eſto, non leuis: conſtans, non pertinax.

Mendacio uti ſi aliquando coarteris, utere non ad falſi, ſed ad ueri cuſtodiam. Et ſi contigerit ueritatem mendacio redimere, non mentieris, ſed potius excuſabis. quia ubi honeſta cauſa eſt, iuſtus ſecreta non prodit: tacenda enim tacet, & loquenda loquitur.

Magnanimitas, quæ & fortitudo dicitur, ſi inſit animo tuo, cum magna fiducia uiues liber, alacer, & intrepidus. Magnũ enim hominis donum eſt, non uacillare, ſed ſibi conſtare,

& finem huius uitæ intrepidè expectare.

Magnanimus si fueris, nunquam iudicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices, non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit: & cum illum in potestate tua habueris, uindictam putabis, uindicare potuisse.

Magnanimus eris, si pericula non appetas ut temerarius, nec formides ut timidus. Nam timidum nil facit animum, nisi reprehensibilis uitæ conscientia.

Mendacium crebrò sub specie ueritatis occultatur.

O

Officiositate reddenda ne sis negligens, neque acerbus exactor appareas.

Obiurgauerit te meritò aliquis, scito quia prodesse uoluit.

Opta, quod coram bonis & honestis optari potest.

Opiniones tuæ sint iudicia.

P

Prudentiam ergo quisquis sequi desideras, rectè per rationem uiuas, & omnia prius existimes atque perpendas: & dignitatem rebus, non ex opinione multorum, sed natura earundem constituas.

Prudentiam si amplecteris, ubique idem eris: & pro ut temporis rerúmque exigit uarietas, ita te accommodes tempori: Nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes te.

Prudentis est proprium, examinare consilium multorum. Et non citò aut facile credulitate ad falsa prolabi.

Prudens si esse cupis, in futurum prospectum intende: & quæ animo tuo contingere possunt, cuncta propone. Nihil tibi subitum sit, totum antè conspicias. Nam qui prudens est, non dicit, Ego non putaui hoc fieri: quia non dubitat, sed expectat: non suspicatur, sed cauet.

Prudens fallere non uult, nec falli poteſt.

Prudens nunquam ocio marcet: habet autem aliquando animum remiſſum, ſed nunquam ſolutum.

Prudẽtia tarda accelerat, perplexa expedit, dura mollit, temperat aſpera, ardua exequitur. ſcit enim, qua uia aggredi debet ſua, & ſingula citò cognoſcit, rectè & diſtinctè uidet conſilia petitorum, ut ex apertis obſcura extimet, ex paruis magna, ex proximis remota, ex partibus tota.

Promittas cum conſideratione: ſed plenius, quàm promiſeris, præſta.

Placeas non multis: ſed quibus placeas, cogita.

Paruo redime deſideria tua. Id quære, quod inuenire poßis.

Pauper nunquam eris, ſi ad naturam uiuas. Si alicui ſua non uidentur ampliſsima, ſi totius mundi dominus ſit, miſer eſt. Qui cum paupertate bene conuenit, diues iudicetur. Deſideria tua paruo redime: quia hoc tantum curare debes ut ea deſinant. atque ita quaſi ad exemplar diuinum compoſitus, à corpore ad ſpiritum, quantum potes: abducere te feſtina.

Paupertas non ſit tibi immunda, nec parſimonia ſordida, nec ſimplicitas neglecta, nec lenitas languida.

Pares tibi omnes facies, ſi inferiores non contemnes, ſuperiores rectè uiuendo non metuas.

Pax illi alta eſt, & ſecura etiam tranquillitas, ut dum mali à malis uincuntur, ab iſto etiam mala uincantur.

R

Riſus reprehenſibilis eſt, ſi immoderatus fuerit: & ſi pueriliter effuſus, ſi muliebriter factus. Odibilem facit hominem riſus, aut ſuperbus, aut elatus, aut malignus, aut fatuus, aut ex alienis malis prouocatus.

Rumoribus, criminibus, ſuſpicionibus, minimè credulus ſis:

ſed potius malis,qui per ſpeciem ſimplicitatis ad nocendum aliquibus ſurrexerint,honorem ſurripientes, contrarius ſis: ad iram tardus,ad miſericordiam pronus.

Religio & fides ibi agitur,ubicunque de ueritate tractatur. Nam etſi Deus iureiurando inuocetur, & inuocando, teſtis:non erit tamen unde non tranſeas ueritatem,nec iuſtitiæ tranſilias legem.

S

Sermo tuus non ſit inanis,ſed aut ſuadeat,aut moneat,aut conſoletur,aut præcipiat.

Studio tuo ſemper adſit alterna requies.Non ſemper in actu ſis,ſed interdum animo tuo requiem dato:Et requies illa plena ſit ſapientiæ,ſtudij,& cogitationis bonæ.

Sermones,utiles,magis quàm facetos & affabiles ama:& rectos potius,quàm facundos.

Scurrilitas tibi non ſit,ſed grata urbanitas.

Sales tui ſint ſine dente,ioci ſine uilitate, riſus ſine cachinno, uox ſine clamore, inceſſus ſine tumultu, quies ſine deſidia. Et cum ab aliis luditur, tu ſancti aliquid, honeſtique tractabis.

Sermonis eſto rari,loquentium patiens auditor: ſeuerus, ac ſerius,ſed hilares non aſpernans.

Suſurro neminem appetas,neminem ſuffodias, palàm aggredere palmam:nec gere conflictum, niſi prius indixeris. Nam fraudes & dolos,imbecillem decent.

Sapientiæ ſis cupidus,& docilis.

T

Teſtimonium ueritati,non amicitiæ reddas.

Triſtitiam huius mundi hilaris deſpicies,tumultuoſa,expectabis quietus,& ad extrema ſecurus properabis.

Tolerabilia omnia,præter turpitudinem.

Virtus

V

Virtus est habitus, qui inclinat uoluntatem ad obediendum rectæ rationi.

Virtutes primariæ, quas cardinales uocant, sunt quatuor: scilicet prudentia, magnanimitas, siue fortitudo, continentia, seu temperantia, & iustitia: quibus animus humanus comptus ad honestatem uitæ poßit accedere.

Victus tibi ex facili sit: non ad uoluptatem, sed ad cibum accede. Palatum tuum fames excitet, non sapores.

Verberes nec quenquam alium plus, quàm te.

Verba blandia timebis, non acerba.

Vitiorum tuorum esto fugax ipse, aliorum uerò non curiosus scrutator, neque acerbus reprehensor. sed sine exprobratione corrector, ita ut admonitionem semper charitate & hilaritate præuenias.

FINIS.

DE OPTIMO CIVE ATQVE MORVM CIVILITATE, AC REIP. GUBERNATIONE, POLITIA, HUIC EPITOMÆ MERITÒ ADIECTA.

Aristoteles in libris Politicorũ octo, tanquã Iurisconsultus, de gubernatione ciuitatum & Reip. tractauit, non abs re, eò quod Politica est de optimo hominis statu, qui in hac uita haberi potest: Et ideo inquit Philosophus I. Politicorum: Omnem ciuitatem esse societatem quandam, ex pluribus pagis propagatam, perfectámque, & omnẽ

societatem boni alicuius gratia constitutam.

Quapropter, bene ueteres, bonum idipsum esse enunciauerunt, quod omnia appetunt: Et ideirco dicit scriptura, Non est bonum, hominem esse solum: quoniam naturali societate, iussu Dei, homo est animal ciuile & politicum, quod ex sermone, qui soli homini à Deo optimo maximo, tanquam uinculum societatis humanæ datus est, liquidò constat: ut sese mutuò iuuare & intelligere queant, quo sibi uicißim obsequantur ac seruiant. reliquis uerò animalibus negatus est. Quare homo solitarius (nullius indigus) aut bestia, aut Deus est. In hominum itaque communitate necessarius est principatus, ad cohibendam ruditatem, morositatem, & malitiam populi. Ideo Deus & natura condidit quosdam in hominum generatione, qui reliquos ratione & ingenio antecellerēt, cæterisque præstarent atque dominarentur. Reliquos uerò corpore robustiores naturaliter fecit aliorum seruos. Vt autem talis gubernatio prudentum in Repub. probè fiat, hunc libellum de Optimo ciue, qui libris Politicorū multum affinis est, condidi: quo de regimine ciuitatum & populi, adolescentes, qui sunt rerum publicarum futuri Ciues, discant prudentiā, & harum rerum ciuilium non sint ignari.

QVID CIVEM OPTImum in gubernanda ciuitate deceat.

Tametsi hoc sit philosophi doctißimi ac sapientißimi munus, describere, quid optimum integerrimúmque ciuē in gubernanda ciuitate deceat: attamen pro uirili mea portiuncula, aliorum fretus minerua, eloquar, quod à uiris, & eis quidem clarißimis accepi: & primùm ex Platina ad Laurentium Medicem subinde ex aliis. Impium enim esset, me eius quod ab aliis uel didicissem, uel accepissem, laudē & gloriam

prærip

præripere illis mihíque uendicare. Nam obnoxij animi, & infœlicis ingenij est, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere, inquit Plinius. Incipiēti itaque mihi de Reip. administratione disputare facile apud omnes naturæ rationem contēplantes perspici potest, homini multum à Deo ter optimo maximo, natura tributum esse: in eóq; mentē ipsam, magnam uim rerum optimarum continere. Hinc faciendi quod honestum, & euitandi quod turpe, rationem colligimus: quòd natos esse nos, & in lucem editos ad decus & honestatem, cernimus. hoc etiam naturalis societas, hoc hominum coniunctio inter ipsos expetere uidetur: quoniam ex re illa quam quærimus, Respub. nascitur: quæ est (ut Aristoteli placet) eorum qui in ciuitate degunt, institutio: cuiúsque finis est, bene beatéque uiuere. Sed quoniam res tanta gubernari bene sine parente & ductore omnium non potest, ab eo exordiamur necesse est. Deo enim duce, errare nemo potest. Præterea uerò ingrati uideremur, cum Poetæ fabulas narraturi, uana numina innocent, si nos Dei optimi maximi nomen præteriremus: nos inquam, quos prouidos, sagaces, acutos, memores, plenos rationis & consilij fecit. Solus enim homo, ex tot animantium generibus atque naturis, rationis particeps, & cognitionis est: ob eámque rem Deo propius accedit, à quo igitur religiose colendus est.

RELIGIO FVNDAMENtum singulare est ad constituendam Rempub.

Principiò quidem cōparandæ autoritatis, constituendæq; Reipub. singulare fundamentum, religio est. Non enim parum fidei apud ciues suos ille sibi comparat, qui & deum immortalē asserit omnia posse: firmitérq; credit: potéstq; quicquid humanum genus, prouidum, acutum in se, præclarum

& excelsum habet, non propria industria & sagacitate, sed diuini numinis gratia obtinere. Non *est igitur hic opus innumeris* Ethicorum *exemplis, & historiis. fides enim* Christiana *satis nobis esse debet.* Iubet *enim scriptura, primùm quærere regnum* Dei. *subiungitque:* Quicquid *petieritis in nomine meo, dabitur uobis.* Et item: Certa *nos habet fiducia,* Deum *nihil negare petenti, si secundùm uoluntatem eius petierimus.* Deum *enim habemus authorem, in cuius nomine cuncta facienda.* Hic *prosperabit omnes conatus nostros, omni dubitatione semota.* Religio *itaque nostra, uera est, & sancta. nihil superstitionis habens, ut* Iudaica: *non aniles fabulas, ut gentiles: nõ turpitudinis, ut* Mahometica: *ad iustitiam nos impellit, ad fortitudinem, ad modestiam, ad pudicitiam: nobis proponit pudorem, fidem, constantiam, honestatem.* Contrà *uerò, petulantiam uitare, stuprum, turpitudinem, libidinem, iniquitatem, luxuriam, ignauiam, temeritatem, nos admonet præceptis, & institutis, quibus piè credere oportet.*

Superstitio *igitur religioni cõtraria, maximopere fugienda est nobis. de qua* Cicero *ait sentítque:* Maiores *nostri, inquiens, religionem & superstitionem separarunt.* Nam *qui totos dies præcabantur, & immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati: quod nomẽ postea latius patuit.* Qui *enim omnia quæ ad cultum deorum pertinent, diligenter tractarent, & tanquam relegerent, sunt dicti religiosi: ut elegantes ex eligendo, tanquam à diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes.* His *enim uerbis omnibus inest uis eligendi eadem, quæ cum religioso. unde alterum uitij genus est, alterum laudis.* Est *autem religio, ueri* Dei *cultus: superstitio, falsi: ut illud* Poetæ, Vana *superstitio ueterúmque ignara* Deorum.

HYPOC

HYPOCRITAS ESSE fugiendos.

Hypocritas fuge, ne te suis artibus superstitiosum reddant. Est enim genus hominum perniciosum, & molestum. hos quidem, ut rerum omnium simulatores, & dißimulatores, Saluator ipse in Euangelio detestatur, & accusat. Occultum quippe scelus est, nec ut alia uitia, facile dignosci potest. Virtutis enim ac sanctitatis nomen semper in ore habent, contemnere omnia uidẽtur, Saluatoris & sanctorum simulachra publicè magis quàm priuatè uenerantur & adorant: obtorto ambulant collo, demisso uultu, squalida barba & ueste. Atque ij quidem magna ex parte ignaui, rudes, sordidi, sola ostentatione & uultus pallore conspicui hominibus, tanquam inutiles fuci, & alienis laboribus insidiantes, infesti sunt. Quare bene à M. Tullio dictum est, nullam capitaliorem pestem esse, quàm eorũ qui cum mali sint, id tamen agunt, ut boni uiri esse uideantur. Ad Lucilium uerò scribens Seneca, hominem monet, ne quid hypocritarum more agat: qui non perficere quod ostentant, sed conspici cupiunt. Cautè igitur cum huiuscemodi hominibus uiuẽdum est, ne circumueniaris, néue in aliquam superstitionem eorum fraudibus incidas: qui certè etiam in crimine deprehensi, puniri non possunt, quòd eorum uitia interposito religionis nomine obteguntur. Dubitant enim homines, rectè ij, an perperam agant. Fugiendi itaque sunt tanquam inutiles fuci, & ciuitatibus graues. Sed his omißis, ad alia pergamus.

CHARITATEM ERGA patriam, amicos & Rempub. seruandam esse.

Stoicorum quidem mos fuit, ubi de religione disseruissent, secundo loco charitatem patriæ, disceptandi, & ueri

inueniendi causa præponere: quod certè non abs re factũ est. Nam cum omnia (ut ait M. Tullius) ratione animóque lustraueris, omnium societatũ nulla est gratior, nulla charior, quàm ea quæ cum Repu. est. Vnicuiq; nostrûm curæ sunt parentes, liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium ciuitates patria una cõplexa est, pro qua quiuis bonus nõ dubitat mortẽ oppetere, si ei sit profuturus. Quo est detestabilior istorũ immanitas, qui lacerãt omni scelere patriã, & in ea funditus delẽda sunt occupati. Augere enim patriã imperio, agris, honestis uectigalibus, optimi ciuis est propriũ: qua ex re certe apud omnes bene sentientes, iĳ nanciscuntur gloriam non mediocrẽ: sicut Curioni, Fabricio, Catoni seni obtigit. Cõtra uerò in uitio sunt, qui posthabitis cõmodis ciuiũ, explendæ auaritiæ ac uoluptatis causa exigũt & extorquẽt, quicquid in mentẽ uenit. Potuítne uox illa sceleratior uideri, quàm illa Catilinæ, ob auaritiã & imperãdi cupiditatem: qui dicente Cicerone, incendiũ ab eo excitatũ: Sentio, inquit, & illud quidem: sed si aqua non potero, ruina saltem extinguã: patriæ excidium minatus. Adducerẽ infinita exẽpla, nisi breuitas cohiberet. Laudanda est contra Deciorũ charitas, quorum alter bello Gallico, alter Latino, pro salute patriæ sese deuouere. Iniecit se in lacum Curtius armatus, adolescens sanè nobilis, equo calcaribus in uoraginem adacto. Intellexerat enim uatum responsis, hiatũ terræ coire nõ posse, nisi ea re iniecta, quæ populo Ro. plurimum ualeret. Hoc autẽ Curtiĳ factũ ita laudarunt ciues, ut in eundem lacum singuli quique honoris gratia quadrantem coniecerint. Amor itaque patriæ ita amplectendus est, ut bonorum exemplo ea opibus, authoritate, dignitate, imperio, quantum fieri potest, usque augeatur. Interitus autem ipsius semper deflendus. Commoda igitur patriæ, prima sibi quisq; putare debet, deinde parentũ, tertia iam supremáque nostra.

CAVENDVM, NE NIMIA libertate ciuium, respu. à tyrannis opprimatur.

Quoniam quidem libertatem natura omnes appetunt, quæ est potestas uiuendi ut uelis: Tyrannus uerò est, qui omnia pro suo æstu facit, recta sint, nec ne, quod boni ciuis non est. Bonum ciuem appello, qui periclitanti patriæ consilio & manu opitulatur: qui aduersus Senatum, nullam conuentionem, nullam coniurationem admittit: pacat turbā optimis consilijs ac honestis persuasionibus, ut quilibet sua sorte contentus sit, nec in Rempub. curiosus. Contrà uerò faciẽtes, mali ciues sunt, & Tyranni dicuntur, qui nemini subesse uolunt: quod nimia licentia ciuium fieri solet, qui sibi propter diuitias nimiam authoritatem uendicant, & se principes ciuitatum faciunt, & tyranni efficiuntur. Tales in Repub. sunt cauendi, atque ab urbe pellendi: non mox interficiendi, nisi apertè in coniuratione contra Senatum apprehensi fuerint. Gubernatorem Reip. multa dißimulare oportet. Ideo dici solet: Qui nescit dißimulare, nescit regere. Et pulchrè inquit Cirylllus: Difficile est gerere Remp. & cuique administrare iustitiam, quoniam si iustè iudicaueris, offendes homines: si iniustè, Deū. Et eam ob rem Chrysippus interrogatus, cur Rempu. legibus, non prudẽtia regeret: Respondit, periculosam esse rerum publicarum gubernationem: quoniam recta & legitima administratio homines, iniusta uerò Deos offendit. Peßimum itaque est, ubi populus contra magistratum insurgit: factiones & seditiones excitat. Quamobrem probè inquit Anaxarxes philosophus: Infœlix ciuitas, in qua optimates cōsultāt, & imperitorum multitudo decernit: cuius est propriū, in rebus maximis minimè prospicere, & in minimis maximè trepidare. Oportet igitur rectè prospicientes Reipub. non

Aliàs regnare.

non porticus legum tabulis replere, sed in hominum mentibus æquitatem infigere. Quippe non decretis, sed bonis moribus, ciuitas optimè gubernatur. Malè enim educatis atque edoctis, nulla est legum, etsi exactè præscriptarum, reuerentia. Contrà uerò probè institutis, præcepta bonis moribus sufficiunt. Hæc illis intelligentibus non ea fuit curarum prima, quibus prius malè uiuentes afficerent: sed potius, quibus tandem rebus assequi possent, ne ciues quid pœna dignũ uellent patrare. Id demum censebant munus esse suum, maximéque moderatores ciuitatis decere. Nam de pœnis cogitare, hoc est hostem agere, non ciuem. Docet Isocrates: Optimè ita regi ciuitatem, ubi optimates & maiores mandata & constitutiones ciuibus iniunctas, in primis integrè & inuiolatè obseruare ipsi student. Vnde Claudianus:

Tu ciuem patrémque geras, tu consule cunctis,
Nec tibi: nec tua te moueant, sed publica uota.
In commune uiues. si quid censésque tenendum,
Primus iussa subi: tunc obseruantior æqui
Fit populus, nec ferre uetat, quum uiderit ipsum
Autorem parêre sibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta ualent, quàm uita regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe uulgus.

AMICITIA SIMVLATA ciuitatibus summo studio cauenda.

SImulata amicitia, inito fœdere, eò plerunque populum deducunt, quibus natura hostes sunt, ut uel sponte, uel coacti iugo seruitutis colla subijciant. His igitur tantum fidei præstabis, quantum uita tyrannica exigit, inuigilabísque, ne ciuitatem imparatam offendant. Id autem percommodè

fiet, si populos finitimos, si principes, fœdere & amicitia patriæ deuinxeris, siue milites paratos ad omnes casus habueris. Ad hanc uerò rem pecuniis opus est, quæ (ut Demostheni placet) Reipub. nerui sunt: uel ut Aristoteli, ita necessariæ, ut euerti popularis Republic. statum necesse sit. nisi ciuitas suos prouentus, sua uectigalia habuerit. Facultates habeant ciues oportet, ut sit unde respubli. opportunè uires suscipiat.

OBLIGAMVR OBEDIRE *parentibus, educatoribus, ac familiaribus.*

Plato ait: unusquisque debet existimare, omnia quæ poßidet, eorum esse qui nos genuere, quíque educauere: secundo loco, eorum quibus cum geniti & educati sumus. Nam si contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum debeamus, post Deum & patriam sequentur parentes, quorum beneficiis, & quidem grauißimis, astricti sumus, sequentur liberi, fratres, & bene conuenientes propinqui. Hoc etiam in mandatis habemus: Quo diutius uiuas, patrem honorato, & matrem, Præterea uerò qui dixerit fratri suo Rhaca, reus erit gehennæ. Virtutum enim omnium ipsa charitas (ut Ambrosio placet) fundamentum est: qua neglecta dissensio esse inter parentes & natos, fratrúmque inter sese, sine nephario scelere non potest. Fratrem itaque tuum amato. Non enim fieri potest ut cuipiam charior sit amicus, quàm frater bene conueniens, ex eodem utero natus, eisdem uberibus alitus, eadem disciplina imbutus. Non tamen ideo antefertur socio & amico, à quo tutius consilium sumere queas, quàm ab alieno & externo.

AMICI QVI COLENDI, *quique à nobis eligendi.*

Verùm quia ad amicitiam fortunati ciuis, multi confluere solent: deligendi à te sunt, qui ob sapientiam, uirtutem, & integritatem, amicitia tua digni habeantur, quique merito boni uiri appellari poßint. Nunquam enim aliter uera amicitia dici poßit, nisi fuerit in uirtute, cōstantia, ac perpetuitate fundata: qualis fuit illa Scipionis & Lælij, Orestis & Pyladis, ac duorum Pythagoricorum Damonis & Pithyæ. Dilige uerò ex ciuibus tuis, qui ob uirtutem firmi amici stabiles & constantes futuri sint. Tales autem esse puta, quorum uita omni ex parte probata fuerit. Nec eos amicos existimes, qui uoluptatum instrumenta sunt, quique meritò ob flagitia omnium seruorum turpißimi sint uernæ. Prius autem, ex Isocratis sententia, diligenter scrutabere, qualis existimationis apud bonos, & rerum humanarum gnaros, ij sint, quos in amicitiā recepturus es. Nam eius ingenij perfacile iudicabere, cuius illi fuerint, quos tibi familiaritate & amicitia adiunxeris. Præterea uerò, si boni erunt, horum integritati te ac Remp. tutißimè committes. Si mali, in te unum omnis ferè culpa uertetur: maximè uerò, si quid detrimenti patriæ tuæ istorum culpa acciderit. Bonos igitur delige ex omni numero: potißimum autem, ex nobilitate: & eos quidem doctos, & rerum humanarum peritos.

NOBILES, ET VIRI *boni, qui, & quomodo noscendi.*

Scribens ad Q. Fratrem Cicero, de petitione consulatus, cum de Antonio & Catilina loqueretur: Nequaquam sunt ij, inquit, tam genere insignes, quàm uitijs nobiles. Est enim nobilitas, secundum Stoicos, splendor quidam, ex propria

pria uirtute proueniens, cui omnis generositatis palma tribuenda est. Quare mirari satis non possum, quod Aristoteles, *homo omnium, qui unquam fuere, sapientissimus, in libro de* Repub. *eos nobiles sibi uideri dicat, quorum maiores uirtute & diuitijs aliquando floruerint: cum uera nobilitas non* Lib. 4. *aliunde, quàm in ipsa uirtute oriatur.* Alioquin *piratæ & la-* Cap. 4. *trones, ob diuitias hoc modo nobiles haberentur.* Præterea *non est quòd eos nobiles censeas, qui nobilitatem in desidia collocant.* Nihil *enim agere post crapulam & ebrietatem, in purpura autem & subselijs uiuere, sericas ferre uestes, aurata calcaria, gemmatos habere digitos, accipitrem circunferre, unguenta sapere: in nobilitate quidam ponunt, quo certè nihil est à generositate magis alienum.* Apud Romanos *olim mos fuit, ut equites propter rem in bello egregiè gestam annulo, fibula, & armillis decorarētur: quæ uirtutis, non autem ignauiæ monumenta & pignora habebantur.* Iactare *item res gestas maiorum, atria imaginibus referta, porticus signis ac tabellis ornatas, ædes splendidè constructas ostentare, plus admirationis quàm nobilitatis in se habet.* Erunt *tamen & hæc adiumento, si maiorū nostrorum uirtutem, & animi præstantiam imitati fuerimus: secus uerò, dedecori ac turpitudini.* Huiusmodi *autem nobilitatē irridens* Diogenes *ille* Cynicus *philosophus, malitiæ & ignauiæ uelamen esse dicebat. Quare illi* Catonem, *priscum illum, quem* Censorium *uocauerunt, non genus, non diuitiæ (*Tusculi *enim natus erat, obscuro genere, tenui censu) sed eximiæ pulcherrimæq; uirtutes nobilitauerunt.* Idem *&* de Marco Tullio, *& non paucis alijs dici potest.* Ipsam *quidē nobilitatē quadrifariā diuidit* Plato. Primā *enim ait eorū esse, qui claris, bonis, iustisque parentibus sunt orti. Secundam eorū, quorum parentes aliquādo principes extitere.* Tertiā, *cū maiores nostri fa-*

ma &

ma & rebus bello gestis, uel publicis certaminibus parta corona claruerunt. Quartam eorum, qui præclara aliqua doctrina, & animi magnitudine excellunt. Hos autem ut uerè nobiles, cæteris omnibus Philosophus anteponit. Platonem uerò Aristoteles secutus, eosdem scripsit sibi uideri nobiles, & uirtutis studiosos: in sola nimirum uirtute nobilitatem collocans. Seneca quoque ad Lucilium scribens, idem sentire uidetur. Non fuit (inquit) Socrates patricius, non eques Romanus: hunc tamen, & Platonem philosophum, uirtus non claros accepit, sed nobiles reddidit. Sola enim uirtus est, quæ nobiles facit, quæque posteros in nobilitate continet. Ex his igitur, ut generosa stirpe, tibi amicos delige, quorum opera & præsentia ad uirtutem excitere.

Lib. 3. cap. 8. Polit.

ASSENTATORES AC adulatores uitandi.

Cauendum item est tibi, optime ciuis, ne circumueniare adulatione, blanditijs, assentatione quorundam leuium hominum, atque fallacium, nil ad ueritatem, sed ad uoluptatem omnia loquentium: qua peste nulla certè maior adhiberi potest, ijs præsertim, qui plurimum opibus & dignitate in aliqua præstanti Repub. ualent. Nam quodcunque dixeris, fecerísue, sine discrimine laudant, assentando extollunt, uultum fingendo ad nutum (ut ait M. Tullius) non autem mentem & uoluntatem obseruando. de quibus Terentius: Astat turba gnatonum: ait quis, aiunt: negat quis, negant: is quæstus apud quosdam non bene institutos, est multo uberrimus. Hoc autem facit assentatio illorum perniciosa, ut cum postea uerum quis dixerit, id audire fortunati isti nolint. Illo enim ueneno imbuti, cum se plus quàm cæteros sapere arbitrentur, bene admonentium consilia & sententias contemnunt, coruis (ut aiunt) oculos etiam in uita præben

In Eunuc.

præbentes. Astant illi, *assentantur, aßident, mirantur: nec uerbum ullum profers, quod non ponderetur, ad eorúmue lucrum faciat.* Præterea *quæstus gratia, omnes animi affectus (quod quidem difficile uidetur) inuertunt. atque ut* Satyricus *inquit:* Ridens *maiore cachinno* Concutitur: *flet, si lachrymas conspexit amici.* Assentatores *(ut* Aristoteli *placet) sordidi, humiles, ac seruilis conditionis sunt, & penitus reijciendi: quoniam maior omnium sancta ueritas.*

DELATORES ET DETRACTORES FUGIENDI.

Est *& aliud genus hominum, huic haud multum dißimile, hominum genus inquam execrandum, & bonis perniciosum: cuius fallacijs & maledicentia, in maximum discrimen adducuntur ciues: hos delatores uulgo appellant.* Inde *oriuntur sæpe odia, simultates, cædes & exitia. quos delatores difficulter uitare possumus: quoniam omnia ut expiscentur ex bonis ciuibus, fallacijs agunt uniuersa, ut ita eos tradant.* Detractoribus *hi sunt persimiles, qui societatem humanam, qua nihil in uita melius est, maledicentia tollunt.* Detrahere *enim, ut ait* Cicero, *aliquid alteri, & hominẽ hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis.* Contemnendi *ergo & pellendi ij sunt, ut sacrilegi, & perniciosi, ut furiæ* Phlegetontis. *& ideo, quid quisque dicat, considerandum de quibúsue dicat in hominum corona, aut conuentionibus.* Hi *enim persæpe apud principes & maiores, suis uenenis officiunt, quo senatores eximij non designentur consilio, in usum* Reipub. *sed potius boni uiri exautorentur, & pestes ac monstra subrogentur.*

QVID CIVI REMPVBBLICAM *administranti agendum.*

Scribens ad Quintum fratrem Cicero, hominem admonet, ut in gubernanda prouincia ante omnia facilitate utatur, in adeundo: lenitate, in respondendo. Et tanquam gubernator Reip. audiat desideria cunctorum: & ut alter Alexander, ex duabus auribus alteram accusatori præbeat, alteram reo: ita ut nulla largitione, nulla gratia, nulla cupiditate transuersum agatur à rectè consulendo, rectéque iudicando: ad amußim singula pensitans, controuersias omnes diligentißimè componat, nullúmque à sermone suo tristem abscedere permittat, seueritate comitatem permiscens. Nihil est enim quod æquè ciuem gratum omnibus faciat, & popularē, quàm ipsa comitas: cui non sine causa bonitas, liberalitas, & amicitia connexæ sunt. quibus profectò ex rebus conciliari hominum beneuolētia solet: ut cōtrà morositate, duritate, & acerbitate admittūt. Verum est certè, quod Cyrū dixisse aiunt iucūdiora multo acceptioraq; hominibus uideri in optimo uiro, humanitatis, quàm belli opera. Bella enim plurimum mali intulisse mortalibus, humanitatē uerò plura bona importasse. Et ideo, quando magistratū in ciuitate adeptus fueris, qui ipse per se hominibus terrori esse solet, memineris quæso uocis illius diuinæ, quo usum Titum Imperatorem ferunt: uelle quidem se talem priuatis exhibere, quales se priuatos habere cuperet. Vt enim nihil perniciosius est, quàm odio haberi: ita nihil utilius, quàm diligi & amari. quod certe humanitate, lenitate, facilitate comparatur. Nam ut superbia Rempublicam labefactat, ita humanitas labefactam aliquando confirmat, ac hominum contumaciam ita interdum frangit, ut ad sanitatem malè sentientes traducat. Huc ô optimi ciues oculos, animum, cogitationes, huc studia uestra conuertite: æquitatem in primis

mis custodite, & iustitiam amplexamini, sine qua reges tyranni nuncupantur, sine qua optimatum consensus factio est: sine qua nec domus, nec ciuitas, nec hominum genus uniuersum, nec ipse mundus consistere potest.

FACILITATE NE QVIS CONtemnatur, curandum.

In prouerbio est, Nimia facilitas contemptum parit. Quare facilitati ego grauitatem adiunctam uelim, propter temeritatem & ambitionem quorundam, omnia sibi licere sine discrimine arbitrantium. Hos autem cupiditate & appetitu omnia metientes, facillimè propelles, si ea in te fuerint ornamento, quæ in optimo ciue esse debent. Præesse nanque ciuibus suis non debet, qui non didicit prius, qua id ratione fiat: quod quidem studio, diligentia, doctrina, usu cõparatur. ut intelligas te non ad otium, sed ad negotiũ: non ad somnum, sed ad solertiam: non ad uoluptatem, sed ad modestiam esse natum, & ueras animi uirtutes spectare oportere. Facile nimirum contemnentur, qui nihil uirtutis, nihil animi, nihil neruorum habent, nec sibi, nec alteri prosunt, ut dicitur. Contrà uerò, in admiratione omniũ sunt, qui anteire cæteros uirtute putantur: atque his uitijs carere, quibus alij non facile possunt obsistere. Hos præterea admirantur populi, hos amant, hos colunt, ut semideos. fieri enim non potest, ut eum quis contẽnat, quem scit curare & eniti, ut omnes ciues quàm beatißimè uiuant. Nam qui dat operam, ut ex æquo & bono suum quisque teneat, quique omni diligentia & studio incumbit, ut ciuitas moribus, industria, gloria, facultatibus augeatur: is certè admiratione omnium, & laude dignus est. Graue enim pondus est, quod optimus ciuis humeris suis sustinet, florentem scilicet secunda fortuna ciuitatem conser-

uare, & si quando acciderit, eiusdem calamitates atque pericula propulsare. Hanc itaque ob rem, ut dixi, fuere, qui hos semideos appellarent. Quid enim utilius dari ciuitati potest, quid fructuosius, quàm ciuis bene institutus, qui sciat omnia prudenter ac modestè agere; iustitiam colere, libertate uti, circumuentos defendere, opem amicis ferre, præmia uirtuti tribuere, prodesse quamplurimis. His autem uirtutibus qui septus est, non ubique à ciuibus contemnitur, non à flagitiosis iniuria afficitur. Nam cum Metellus repetundarum accusatus, causam diceret, ac tabulæ administrationis inspiciendæ iudicibus traderentur: omnes certe qui tum aderant, auertere oculos: indignum rati, chartæ, & non integritati eius fidem præstari, cui populus Romanus tantam prouinciam commisisset.

CONTRA ARROGANTIAM & ambitionem remedia.

Contra ambitionem & arrogantiam, duo grauissima mala, plurimum certè ualet iustitia: siquidem & fidem è medio tollit nimia principatus ambitio. Vnde præclarè scriptum est apud platonem, similiter facere eos qui inter se contenderent, uter prius Rempub. administraret: ut si nautæ in periculo certarēt, quis eorum potissimum gubernaret. Quod si imperia non sunt expetenda (ut ait Cicero) aut potius non accipienda interdū, aut deponenda nonnunquā: uel si tantum pōdus suscipitur omnis ambitio ex arrogantia uitanda est, ne si elati nimium uidebūtur ob delatos honores, beneuolentiam omnem, ex animis hominum abradamus: quæ non minuenda fastu, sed augenda est clementia, & humanitate.

QVIS CIVIVM PRIMVM LOcum in Republ. obtineat.

Primum locum in libera Republica obtinet is, qui cupiditat

ditatibus suis imperare potest, refrenare libidines, spernere uoluptates, iracundiam frenare, auaritiam cohercere, cæteráſque animi labes repellere, & ciuitatem in pace & tranquillitate regere. Et hic quidem non fraudatur suo merito, scilicet gloria: & ille potißimum, qui non de uno tantum, sed de pluribus bene meritus est, huius autem præmium non erit aurum, non gemmæ, non puellæ captiuæ, ut est apud Homerum: sed uera & integra gloria, quæ est (ut ait M. Tullius) consentiens laus bonorum, incorrupta uox bene iudicantium, excellente uirtute. Vnde & apud maiores nostros, his qui in Republ. res præclaras gessere, trophæa, triumphi, statuæ, coronæ, laudationes, tum in uita, tum in morte sunt inuentæ. Adde & historiam, & poesim, ac musicam, qua in cōuiuijs ad citharam, heroum præclaræ res gestæ canebantur. Heroum dico, quia tota uita in uirtute, & non in ostentatione locata est. Præclarè certè Socrates hanc uiam, & quasi compendiariam dicebat: si quis ageret id, ut talis esset, qualis haberi uellet, Quod si qui simulatione, & ficto non modò sermone, sed etiam uultu, stabilem se gloriam consequi posse rentur, uehementer errant. Nam uera gloria altè radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam flosculi decidunt. Nec simulatum quicquam potest esse diuturnum. Non igitur quærendum, quis quisque sit, sed qualis: neque quàm procerus, sed quàm probus ac eruditus.

DE SPLENDIDIS CIVIVM structuris.

Ad dignitatem præclari & excelsi ciuis, supputatis sumptibus, quibus tamen modus imponendus est, pertinet struere domos magnificas, ubi res pecuniariæ non defuerint, non solùm ad usum, sed ad ciuitatis ornamentum, splendorémque:

que: in loco honestißimo, pro dignitate, ex lapidibus. Non tamen tota, ex domo, quærenda est dignitas, ne in cemento & lapidibus uanam gloriam reposuisse, quæsisseque uidearis. Domus præterea tua, splendida si fuerit, nihil effœminatum in picturis gerat, ne muliebris lasciuiæ accuseris.

DE VICTV ET AMICTV ciuium.

In uictu, quemadmodum & in amictu, modestia quærenda est bonis ciuibus non diffluentia, uarietate & luxu. Conuiuia instituant amicitiæ comparandæ gratia: sed moderatione & mediocritate condita. Victus enim cultúsque corporis, non ad uoluptatem, sed ad ualetudinem, & ad uires sunt referenda. Nam qui naturæ humanæ dignitatem & excellentiam considerat, intelligit, quàm turpe sit diffluere luxuria, & delicatè mollitérque uiuere: quámque honestum, parcè, continenter, seuerè, ac sobriè ætatem consumere. & ideo rebus in omnibus laudanda est mediocritas.

DE SOMNO, LVDO, ET reliquis corporis exercitijs.

Dormiendum non esse, nisi corporibus labore & exercitijs & sollicitudine defatigatis, ad recuperandas uires, censuit Socrates: & si alicui parum dormire licet, cui magis conueniat, quam optimo ciui, non uideo. Aristoteles autem in libris quos de Moribus scripsit, bonos à malis, miseros ab infelicibus, in dimidio uitæ propter somnum nihil differre, ostendit: cum fœlicitas hominis in actione non autem in ocio & somno reposita sit. Volo quiescat, non marescat somno & ocio: uolo dormiat, non stertat ad multam noctem. Præterea uerò ludos decentes ac liberales, animi laxandi gratia, post cibum concedo. Et quando ad hæc parua descendimus, non pudeat discere quod sentio: ludus sit tessera, chartæ pi-

Lib. 1. cap. 13. Ethic.

ctæ,

ctæ, latrunculi, alueolus. Sed absit inter ludendum omnis fucus & auaritia, quæ solent fieri in indecentibus ludis, & interdum concitare ludentium animos, ut ex ludo ad conuicia & contumelias transeant. Omnem enim aleatorem mendacem, periurum, alieni appetētissimum, sui prodigum esse oportet: qua ex re, in furta plerunque & rapinas passim dilabuntur. Iocus postremò, qui in uerbis est, modò careat scurrilitate & rusticitate, conditúsque sit facetijs, & salibus. Is enim iocus, qui non illiberalis est, non mentem solum recreat, ac reficit, uerumetiam ad dicendum & respondendum, ingenium acuit. Quod autem ad corporis exercitationem pertinet, exercitia tua si non motu corporis fieri queant, sint honestæ de rebus Reipubl. utilibus collationes, quæ ingenium acuant, ac delectent. Sonoros autem gnatones, ac mimos, qui obscœnitate uerborum & turpitudine indecentes motus ac gestus dedecorent, omnino reijce.

RESPVBLICA FELIX *quam sapientes regunt.*

Sic Plato, diuini ingenij atque doctrinæ princeps, diuina illa scientia sua docet: Tum denique beatas fore Resp. si aut docti & sapientes homines eas regere cœpissent: aut ij qui regerent, omnes suum studium in doctrina & sapientia collocassent. hanc coniunctionem uidelicet potestatis & sapientiæ saluti ciuitatibus censuit esse posse, si is summam potestatem haberet, qui in doctrina, uirtute, prudentia, studium omne suum collocasset. Interrogatus igitur Aristoteles, quo differrent docti ab indoctis: Quo inquit, uiuentes à mortuis. Philosophiæ igitur danda opera est, quo nihil optabilius, nil præstantius, nil melius esse homini potest. Verum est certè, quòd M. Tullius ait, ex quatuor locis honestis, illum qui in ueri cognitione consistit, maximè naturam attingere huma-

Supra in præf. Physicorum.

nam. Omnes enim trahimur ad cognitionis ac scientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus. Labi autem, errare, nescire, decipi, malũ & turpe ducimus. Ut enim quisque maximè prospicit, quid in unaquaque re necessariũ: quique acutißimè & celerrimè potest uidere & explicare rationem, is prudentißimus & sapientißimus haberi solet.

AD OPTIMOS QVOSQVE Reipublicæ maiores, pro iuuentute cohortatio.

Proh dij immortales, quàm deploranda est huius tempestatis corruptißima iuuentutis ætas: eo quòd erudiendæ, educandæq; illius nullus, aut modicus est parentum maiorúmque respectus. Pueri quidem, licet paucißimis annis, ad bonarum literarum studia adigantur: adolescentes tandem facti, cum ex ephebis excesserint, proprio arbitrio relicti, uoluptatibus student: & ante tempus, mundo iam delirante, domini fiunt, & impudentißimo uictu amictuq́;, potationibus & lusibus illicitis incumbunt, & principes agere conantur, decoquentes perditè patrimonia sua: posthabita omni maiorum reuerentia, sine moribus, sine doctrina, sine modestia, sine futuræ uitæ prouidentia, incautißimè uiuunt, parentum, maiorumq́; indulgentia: idq́; ob doctißimorum præceptorum, qui uitam illorum formare habent, contẽptum, & neglectum: qui penuria mercedis, ac rerum inopia preßi, scholasticos labores relinquere cogũtur, & rebus suis aliò consulere. Ut rectè dicatur.

Est labor in miseris, & sine fruge scholis.

Nam, ut inquit Horatius:

Imberbis iuuenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibúsque, & aprici gramine campi,
Cereus in uitium flecti, monitoribus asper,

Vtilium

Vtilium tardus prouisor, prodigus æris.

O Principes, ô magistratus, ô parentes, quibus iuuentutis cura, à Deo optimo maximo concredita est, resipiscite. Vestrarum enim partium est, strenuè rem tueri literariam, à qua non solum religionis nostræ ornamenta, sed etiam rerum ciuilium status prorsus pendet. Ideo adolescentiam ad bonas artes, egregiósque mores, ipsis etiam nolentibus cohortamini, compellitéque: hi enim erunt rerum publicarum ornamenta uberrima, pulcherrimáque, si ad uirtutes atque urbanos mores, à paruulo liberaliter instituti fuerint. Nam generosi pueri non sunt illiberalibus opificū sordibus tribuēdi. Quales enim adolescentes in usum Reipub. educabitis, tales ciues futuros habituri estis. Vobis igitur, uestrísque hæredibus hæc scripta esse perpendite. Est enim maior literarum, uis, quàm uulgo existimant. Sit uobis exemplo Romanorum prudentia, qua ratione suos educauerint adolescentes, quos intra annum quindecimum, aut duodeuigesimum, Latinæ Græcæq; linguæ adamußim peritos, adhæc omnibus disciplinis liberalibus (quas uocant) præditos, statim in militiam cōpulerunt, tradita in manum Reipubl. administrandæ functione. Hinc oriebātur uiri sapientes egregij, & omnibus seculis incōparabiles, illi Camilli, Fabij, Scipiones, Pauli, Catones, & reliqui innumeri omni scientiarum genere exculti, nullóque non rerum usu exercitati. Tu igitur ô florētißima adolescentia, quæ hac nostra ætate uitam agis felicißimam, impendiò te rogo & oro, hortor ac moneo, bonas reflorentésque capesse literas, quas omnes diuino nutu, librorum elegātißima copia, propalàm nunc esse cernis in lucem datas, quibus ætati futuræ tibi tuísq; consulere queas: quando solæ uirtutes, & bonarum artium studia, perpetuò sunt duratura, atque nomini tuo parentibúsq; claritudinem immortalitatemq; comparatura. Quod

Ad adolescentes adhortatio.

Poeta hisce uersibus pulcherrimè complexus est, dicens:

Omnia roscidulæ quæcunque sub orbe Dianæ
    Viuunt, sunt fatis interitura suis.
Virtus sola mori diuorum munere nescit,
    Cúmque suis Musæ uatibus usque manent. Item:
Artibus ingenuis quæsita est gloria multis:
    Viuitur ingenio, cætera mortis erunt.

QVID PRVDENTIA ET sapientia poßint.

Prudentia principium est cognoscendi, res omnes expetendas & fugiendas, exactißimè contemplandas, secundum Peripateticos. Nam si in uita rebúsque agendis laudatur uir prudens, cur sapiens rebus contemplandis, propria laude carebit? quòd si in actione prudentiæ felicitas humana reposita est, cur sapientem beatißimum non appellabis, in contemplatione uiuentem? non in quauis, sed in ea quæ Deo (quoad fieri potest) persimilis sit: cum res diuinas, reuocato à sensibus animo, intueatur & respiciat. Ad prudentiam redeo, sine qua ciuitates bene moratæ nullo modo esse possunt. Est enim recta ratio rerum gerendarum, quæ uoluptatibus modum imponit, fortitudinem animi regit, liberalitatis officium disponit. Transfert hæc eadem sese non solum ad Rempubl. sed etiam ad familiarem: & ad res omnes non temerè, sed consideratè agendas. Sapientia autem, ut ueteribus philosophis placet, est diuinarum humanarúmque rerum cognitio, quam quidem Cicero nunc prudentiam, nunc sapientiam uocat. Hanc itaque sapientiam qui aspernatur, quid à brutis differat, non uideo: cum sapientia ipsa uirtutum omnium princeps sit, & quidem quasi irriguus fons, unde omnes bene uiuendi rationes manant.

IN DELIBERATIONE ET consultatione quid agendum.

In omni deliberatione, seruandum est tempus deliberatæ rei, omni socordia & ignauia remota, ad agendum aliquid ordine, & constantia, ut honestatem & decus conseruare possimus. Ipsius enim uirtutis tota laus in actione consistit. At uerò in omni deliberatione suscipienda, illud maximè curandum est, ne incognita pro cognitis habeamus, hísque temerè assentiamur. quod certè non fiet, si adhibebimus ad res considerandas tempus & diligentiam. Verùm non usque adeò tamen immorandum est, quod quidam hebetioris ingenij & morosi faciunt, ut occasionem & opportunitatem rerum benè gerendarum amittamus. In omni autem consultatione, publica præsertim, uidendum est, fieríne posit quod proponitur: facultatésne habeamus, & adminicula. aliter enim inanis omnis nostra cogitatio esset: ueniendúmque ad id quod à sapiente uiro longè remotum esse debet, ut dicẽdum sit, Non putaram. Sunt itaque tria prudentiæ opera, in consultando obseruanda. Primum est, rectè consultare, id est, consilio inquirere atque inuestigare singulas prudentiæ circunstantias an opporteat, quibus medijs assequi posit, quantum expediat, gratia cuius fieri oportet. Secundum, de his quæ recto consilio sunt inuenta, rectè iudicare, quid melius & potius est. Tertium, rectè inuenta, iudicatáque, præcipere, & exequi curare. Et hæc opera ordine se consequuntur. Nam prudens primùm consultat, quid sit agendum, & quomodo: Deinde, de his quæ per consilium sunt inuenta, iudicat, an expedientia sint: & si fuerint plura, quod eorum expedientius sit, & commodius. Vltimo autem loco præcipit ea, quæ consilio inuenta, & rectè iudicata sunt, accommodátque ad opus.

Prudentiæ opera.
1
2
3

A QVI

A QVIBVS CONSILIA IN Republica sint petenda.

A prudentißimis, senibus, rerum humanarum expertis, in Repub. consilia sunt petenda. Fieri enim non potest, ut ex iuuene scientia optimè eliciatur, cum in prudẽtem cadat præteritorum memoria, consideratio præsentium, intelligentia futurorum: quæ haberi non possunt, nisi doctrina & assuetudine comparentur. Mirum illud in Solomone & Iosepho adolescentibus uideri potest, ut certè est. Diuino enim numine, non humana sapientia & industria factum putarim, ut illi præter ætatem tantum saperent. Senes igitur, ut diximus, rerum humanarum periti in consilium adhibendi sunt. Nam senatus Romanus: quem totus orbis consulebat, à senibus certè, non iunioribus, nomen accepit. Probati sunt ij, quorum sententiam in Repub. cum imitatus es, nihil habent ficti, nihil simulati, nihil fallaciæ, aperti sunt & ueri. Plurimum autem in consilijs dandis accipiendísque, ualet integritas uitæ. Non potest esse consilio bonus, qui ita uixit, ut ab omnibus malus haberetur. Voluptates quidem si reijciat, auaritiam compescat, affectus deniq; ac perturbationes sedet, qui tibi ac Reip. utile consilium daturus est. Nam ut aurum contemnit, qui munera spernit: ita qui patriæ dignitatem ac salutem cæteris rebus anteponit, facillimè quoque contemnet hominum cupiditates, & honestam ac rectum seruabit.

CALLIDI, VERVSTI, ASTVTI, à senatu ac consultatione quauis reijciendi.

Quemadmodum enim sapientes & bonos in consultationem adhibendos esse, ita uersutos & callidos reijciendos censeo: qualis fuit Themistocles, cuius profectò consilium de-

fran

frangendis Lacedæmoniorum opibus, incensa clanculum ad Gytheum eorum classe, Aristides dixit perutile quidem, sed minimè honestum esse. Tollendæ igitur astutiæ sunt, eáque malitia, quæ uult quidem uideri prudentia, cum absit ab ea, distétque plurimum. Mentiri enim emolumenti sui causa, criminari, fallere, præripere, in bonũ uirum cadere non possunt. Sagaces eos sanè uelim, non tantum astutos. Est enim Sagacitas (ut Aristoteli placet) rerum agendarum scientia, circa principia. eosdem enim & Sagaces & bonos dicit. Si, inquit, in deliberando intentio sit honesta, uis illa laudabilis est: si improba, astutia nuncupatur. Fieri ergo non potest, ut quispiam prudens sit habendus, nisi idem sit bonus: cum uirtus sit habitus ratione determinatus, & ipsa recta ratio prudentia nuncupetur.

QVOMODO QVIS SE IN senatu gerere debeat.

Considerandum est ergo, & circumspiciendum, quid quisque in senatu sentiat ac dicat. Nam scribens ad Ciceronem Cicero: Te, inquit, in consiliũ adhibe, tecum loquere, te audi. Nolebat adolescentem circumueniri aliorum consilijs. Audienda sunt aliorum consilia, & pensitanda, priusquam aliquid pro Republ. aggrediare. Bibe, inquit Salomon, de tuis uasis, & puteorum tuorum scaturitionibus: hoc est consilio tuo utere, etiam in ijs quæ sunt prius bene sentiẽtibus perspecta ac cognita. Hac igitur agitatione mentis, tibi ac reliquis bene institutis ciuibus prouidendum est, ne quid ciuitati in futurum sinistri accidat, ne bello, ne seditionibus, ne charitate rerum, ne incendijs, ne rapinis, ne pestilentia populus opprimatur.

ALIARVM CIVITATVM euenta sint consultatori exemplo.

In consilio consulturis, ait Plato, præteritum tempus nobis exempla suppeditat, cum attenditur, quid, cur quæq; gens passa sit, ut caueamus: aut quid prudenter egerit, ut imitemur. Præsens, ut annosos muros, & ruinosos inspicimus: ita homines timidos & imbelles, annonæ charitate. Futurum, ut ne quid fiat temerè: unde infinita mala oriuntur. Quod si feceris, & patriæ tuæ bene consules, & tibi felicitatem cum gloria comparabis.

IVSTITIAM IN REP. SVMmopere esse necessariam.

Aurea profectò uideri debet, ut certè est, doctorum uirorum sententia, asserentium, ita iustitiam in humana societate esse necessariam, ut in animante anima: quæ si insit illi, corpus interno motu cietur: si egressa fuerit, riget continuò, dissoluitur, atque putrescit. Sic si iustitia administrata, societas constat: si posthabita fuerit, languescit & exhalat. Nemo est enim, qui ut Deum quendam, iustum non intueatur, & admiretur. Huic omnes committunt fortunas, liberos, coniuges, atque humana omnia: & meritò quidem, cum iustitia sit (ut Aristoteli placet) non pars quidem uirtutis, sed tota uirtus: contrà iniustitia, tota uitiositas est. Ergo perpetuæ commendationis, & firmæ, iustitia erit, sine qua nihil potest esse laudabile. Et ideo uirtuti patrocinari, est ipsam uirtutem tollere. Primùm itaque iustitiæ munus est (ut ait Marcus Tullius) ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria. Deinde, ut communibus pro communibus utatur, priuatis

Iustitia tota virtus.

uatis ut suis, quemadmodum legibus præscriptum est. Est igitur iustitia, quæ ius suum cuique tribuit, alienum non inuidet, & propria utilitate neglecta, publicam utilitatem fouet atque tutatur. *Iustitia descriptio.*

COMMVNIA CIVITATIS *cum societate quæ sint.*

Communia itaque ciuitatis hæc sunt, errantes admonere, ignaros docere, aut ut doceantur curare, aquam non prohibere, pati ignem ab igne capere, consulentibus fidele consilium dare, quod ad communem utilitatem pertinet. In hac autem societate humana gradus distinguere, superuacaneum quodammodo mihi uidetur. Quis enim est qui nesciat, plus se patriæ, parentibus, liberis, propinquis, ciuibus debere, eiusdem nationis, eiusdem linguæ: quàm peregrinis, & externis? Multa sunt ciuibus inter se communia (ut ait Cicero) quæ societatem humanam cõfirmant, forum, phana, porticus, uiæ, leges, iura, opifices optimi, suffragia, consuetudines: præterea & familiaritates, adde etiam connubia & affinitates, quibus tanquam firmißimis nodis ciuitates inter se colligantur. Hinc est propagatio sobolis, & origo ciuitatum, cuius procuratio non aliena est ab optimo ciue: quo magis simul nectantur uoluntates ciuium, quo moratior fiat populus. Sed quoniam nulla societas præstantior, nulláque firmior est, quàm quæ cum bonis uiris comparatur: curãdum erit omnibus ciuibus, ut moribus, doctrina, eruditione, si fieri poterit, imbuantur omnes. Omnia autem (ut quidam uolunt) esse cõmunia, scilicet facultates, posseßiones, nullo modo conducit. Nã in prouerbio est, Qui laborat, mãducet. Itaq; ociosi,

desidiosi

desidiosique dicere de se possunt: Nos *genus ignauum, fruges consumere nati.*

FIDES IVSTITIAE FVNdamentum, quibus seruanda.

Cum totius iustitiæ fundamentum sit fides, curandum erit ut in dictis, pactisque, eam seruent ciues. Standum promißis quidem est, & id faciendum quod iustitia & ratio exigit. Hanc ob rem fidem ipsam Stoici dictam putant. At uerò si secus fecerimus, statim dissoluetur ea pars iustitiæ, quæ in societate humana reposita est. Seruandam quoque fidem peregrinis & hostibus, & illud declarat, quòd dij ipsi, qui uoluerunt longè ac latè diffundi ipsam uirtutem & iustitiam, uinculum ipsius fidei interposita authoritate nominis sui annecti paßi sunt. Est enim iusiurandum, affirmatio religiosa, tota quidem ad iustitiam ac fidem pertinens. Vnde præclarè ait Ennius: O fides alma, apta pinnis, & iusiurandum Iouis. Cum itaque iusiurandum uiolatur, fides uiolatur, quam in Capitolio uicinam Iouis optimi maximi, Romani esse uoluerunt. Quod enim iuratum est, & mens concipit fieri oportere, id obseruandum est. M. Regulus, unicum certè inuiolatæ fidei exemplum, maluit ad certam pœnam redire, quàm datam fidem uiolare. Seruandum ergo iusiurandum est, seruanda fides: non dico tamen prædonibus, aut piratis, qui omnes omnium sunt hostes. Falsum tamen iurare, non peierare est: sed quod ex animi tui sententia iuraueris, sicut uerbis concipitur, id non facere, periurium est. Scitum est certè illud Euripidis: uraui lingua, mentem iniuratam gero. Reguli quidem periurium fuisset, nisi fidem datam seruasset.

CIVES AD REMPVBLI-cam gerendam qui eligendi, & ex quo statu.

Quoniam quidem ut corpus mēbris, ita & suis magistratibus ciuitas constat: uidendum profectò quàm diligentissime erit, quos potissimum ex ciuibus ad gubernandam Rempubl. deligatis. Nisi enim paterfamilias, qui interdum eius uices gerat, habuerit, nulla erit prouidentia, aut œconomiæ ratio. quod certè multo magis in ciuitatem cadit, quæ pluribus curatoribus indiget, qui non ex quouis genere hominum, licet popularis sit status ciuium, sed ex uera nobilitate (non solum generis, sed uirtutis, quæ ueram nobilitatem adfert, de qua antè diximus) deligendi sunt. Consentaneum namque est, ex melioribus & uirtuosioribus ortos, meliores futuros. Optimus gubernator legibus ipsis plerunque antefertur: quòd non uniuersa tantum, ut leges, uerumetiam partes inspiciat. Hos esse bonos & peritos legum, si fieri potest, oportet, uel consuetudinis patriæ, & rerum humanarum gnaros. quod certè non continget, nisi grandiores natu fuerint: quæ quidem ætas potissimum magistratui conuenit, cùm senes ob ætatem, uerecundiam populis iniiciant. Præterea uerò nemo, præsertim bene institutus, indignatur senioribus propter ætatem parêre, quando & se quoque, cum ad id ætatis peruenerit, sciat tale præmium recepturum: cùm intelligat, eum postea rectè aliis imperaturum, qui prius modestè ac constanter alterius imperio obtemperarit. Sint igitur, quos delegeris ad magistratum obeundum, legem quidem loquentem (ut ait Cicero) boni, modesti, continentes, iusti, fortes, prodentes, abstinentes, & à quouis flagitio alieni, teneántque iudicandi & imperandi modum. Tenere enim debent (ut ait Plato) commoditatem ciuium, & quicquid agunt, ad eam referre,

obliti commodorum suorum. Totum præterea corpus ciuitatis curare debent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Nam qui parti ciuium consulunt, partem negligũt, rem sane perniciosam in ciuitatem inducunt. Nemo præterea in consulatum admittatur, qui publicè aliquo crimine accusatus fuerit. Non igitur sit homicida, nec mœchus, periurus, neque furti accusatus, omnis magistratus. Quapropter noster Andreas Guncerus Cossenblatius, iurisperitus, ciuitatis Turunen. Secretarius, olim dicere solebat: Homicidij, adulterij, furti, periurij, breue gaudium, eo quòd mox post patrata facta, pœniteret talia facientem.

MAGISTRATVM GERENtium munus quale esse debeat.

Magistratum gerentium munus esse debeat, intelligere se ad commoditatem ciuitatis natos esse, deberéque eius dignitatem & decus sustinere, seruare leges, iura describere, tueríque ea quæ eorum fidei commissa sunt. quod profectò quàm diligentißimè facient si intelligant, ab optimatibus iustitiam & pietatem coli, eorúmque censuræ aliquando standum esse. Magistratuum autem animaduersio omnis, & castigatio contumelia uacare debet: neque ad se, qui punit aliquem, aut uerbis castigat, ut antea diximus, sed ad ciuitatis utilitatem referre debet. Cauendum etiam est, ne maior sit pœna, quàm culpa, néue ad iudicandum iratus accedat, quia mediocritatem illam tenere non poterit, quæ est inter nimium & parum. Sint autem, qui iudicant & ciuitatem gubernant, si fieri potest, legum omnino persimiles: quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur. Hãc ob rem Plato, Xenophonti ad se accedenti, uel (ut alij uolunt) Speusippo: Cæde, inquit, hunc puerum: mihi autem, quoad iratus sum, id nequaquam

integrum est. Eadem quoque ratione usum ferunt Architam Tarentinum, offensum uillico, quòd agros negligenter coluisset. Hæc etsi priuatorum hominum exempla sunt, plublicæ tamen animaduersioni accommodari possunt. Magistratui itaque, & his qui cum imperio cæteris præsunt, curandum erit, ne plus seueritatis quàm clementiæ præ se ferant: ut dictum est. Propensiores enim ad dandam ueniam, quàm ad sumendas pœnas esse illi quidem debent. Proprium enim magistratus est, non tam pertinaci seueritate & acerbitate, quàm lenitate & clementia, adhibito consilio & maturitate, populos in officio continere. Hinc est autem, quòd clementes Deo similes existimamus: contrà uerò, crudeles & immites detestamur. Ideo crudelitate nihil est in ciue detestabilius, & humanitate nihil laudabilius. Prætori igitur attendendum, & ne ob crudelitatem alicui fiat iniuria: & ne sit rerum ad se non spectantium, utputa alienarum ditionum iudex. Magistratus præterea erga bonos indulgentissimi patres, aduersus impios iustissimi iudices esse debent, si Rempub. iustè gubernare uoluerint.

QVAESTORES, PVBLICANI, & fœneratores in Republica animaduertendi.

Quæstorum, publicanorum, & fœneratorum cupiditatem coercere in ciuitatibus, magistratus oportet. Quæstores enim publicorum prouẽtuum seu publicæ pecuniæ, quærendæ præpositos esse, nemo est qui ambigit: qui apud Romanos partim uectigalibus prouinciarum, partim ærario urbano, exigẽdis præficiebantur. Hos quidem habere manus abstinentes oportet. satis enim est, publicum in ærarium referre, nedum priuata explicent, non publici certè commodi, sed priuati causa. Multos enim uidimus in ciuitatibus qui breui,

quod sine rapina fieri non potest ingentes sibi facultates com pararunt, aut accipiendo unde non oportet, aut non reddendo quibus oportet. Tales, quando uniuersis ciuitatibus perniciosi sunt, lege Iulia de Repetundis, ac de Peculatu, coercendi sunt. Bonis etiam ciuibus cauendum est, ne noua uectigalia imponant. Quod si bello urgente id facere interdum necesse fuerit, pace parta (Iustiniani sentẽtia) tollendum omnino erit: ut quod belli timor introduxerat, hoc pacis bonitas rursum consopiscat. Publicani autem, quorum illiberales & sordidi quæstus odia hominum facilè incurrunt, obseruari quàm diligentißimè debent. Ex his enim, quos tantopere laudat Cicero, graues controuersiæ, multa iniuria, magnæ contentiones plerunque nascuntur. Nam conductis ingenti mercede portoriis & uectigalibus, cum postea soluendo non sunt, ex alieno rapiunt & extorquent: nec à ciuibus tantummodo, uerùm etiam à peregrinis, cum ingenti ciuitatũ iactura. Com pescendi sunt etiã fœneratores, qui certè detestabiliores sunt habendi, quàm aut fures, aut latrones, aut piratæ. ij enim magna discrimina subeuntes, sitim, famen, æstus, frigora patientes, unde uiuant conquirunt, maximis interdum adeptis uulneribus: illi uerò, tecto & umbra gaudentes, tanquam fœdissimæ harpyiæ, ne minimum quidem incommodum sentientes, non acceptis, sed illatis ex fœnore uulneribus, hominum sanguinem & carnem exedunt, ossáque corrodunt. in quo crimine qui deprehensi fuerint, ultimo Catonis supplicio sunt afficiendi.

Publicani. *Portorij fures.* *Fœneratores coercẽdi* *Stulreuber vsurarij.*

EMENDORVM AC VENdendorum fraus ne committatur curandum.

Sunt illi quidem humani generis domestici hostes, quos diximus: uerùm quando & in emẽdis uendẽdísque rebus fraus

permag

permagna subesse interdum solet, deligendi è numero ciuium erunt, qui ne annona, uinum, carnes, pisces, esculentáque omnia, carius quàm ipsius anni tempora requirunt, uendantur: utq; emptori succurratur, si animalium aliquod morbosum pro ualido, sanóq;, siue quid uitiosum pro sincero, fractũ pro integro emerit: quod apud Romanos ædilitio edicto cautum erat Aedilium quoque munus putabatur, curare, ut fora, uici, stratæ uiæ publicæ, cloacæ, & aquæ ductus, cæteràq; ædificia lauta, munda, integra, expeditáq; asseruarentur, tum ad utilitatem, tum ad salubritatem ciuium, quod & maximè necesse erit, si Respub. rectè geri debeat, ne & diuites & pauperes succumbant, & Respub. intereat, quapropter Censores adsint oportet, Cẽsores præterea, authoritate magistratus ad stateras & pondera ciuitatis diligenter introspicere habent: quoniam bilancem dolosam abominabitur Dominus, at integrum pondus placet illi: Prouerbiorum 11. Et rursus: Statera, bilanx, iudicium, Domini sunt. Omnia pondera opus eius sunt. Pro. 16. Caue igitur, ne fratrem tuum fraudaueris in emptionis negocio. Baumelster.

AVARITIA AEQVITATI
omni aduersatur.

Scitum est, iustitiam definitam esse, æqualitatem, unicuiq; quod suum est reddẽtem, pertinentem maximè ad societatem hominum inter se. quæ rursus in æquitatem & beneficentiam diuiditur, quam eandem liberalitatem & benignitatem uocamus: quibus auaritia maximè obstat, qua nihil potest esse perniciosius, in his præsertim qui Rempu. gubernant. Est enim auaritia, quædam uehemens habendi sitis, quæ ut in hydropico continuo haustu, ita in auaro frequenti etiam rapina extingui non potest. Verum est profectò quod dici solet, Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet: cum ob

animi angustias partis etiam frui non audeat. Tollit præterea amicitiam, & sanctã societatẽ: cùm nemini prosit, & multis noceat. Auari nanque pecuniam pluris faciunt, quàm patriam: aut parentes, aut cognatos. Propinquorum enim mortes expectant, ob hæreditatem, auaritiæ causa: nunquam rident, omnes suspectos habẽt, nemini credũt: inimicitias, odia, maledicta nil curant, modò rem faciant. Magneti nimirum persimiles. ut enim ille ferrum trahit, sic ij aurum & argentum undique, & quouis modo rapiunt. Ea quasi malis uenenis imbuta, corpus animúmque uirilem effœminant, neque unquam copia neque inopia minuuntur.

Sallust. in Catil.

DE LIBERALITATE *quid sentiendum.*

Liberalitatẽ, quæ iustitiæ coniuncta, cæterisque uirtutibus gratiosior est, quadrifariã diuidit Plato. fieri enim pecuniis, opera, disciplinis, oratione pro circumuentis: quæ omnia liberalitatis speciem præ se ferũt, qui communicauit iis quibus opus est. Nos autem illud genus liberalitatis, quod circa pecunias uersatur, breuitatis gratia explanabimus. Pecunias autem dico, quarum æstimatio mensuratur numo. His autem ad liberalitatem utendum est, qua nihil habetur naturæ hominum acccommodatius. Verùm quemadmodum utare, diligenter inspicere oportet. Non enim in quemcunque, & ob omnem causam, liberalitate utendum est: sed circa bene meritos, & propter aliquam insignem uirtutem quouis præmio dignos, quod profectò maximum iustitiæ fundamentum est. Ea enim liberalitate uti debemus, quæ prosit amicis, nemini noceat. Simus tamen ita liberales & benefici, ne ingratis, indignis ac flagitiosis partiamur facultates nostras, ne prodigalitatis accusemur, aut in paupertatem dilabamur. Simus

igitur

igitur liberalitate propensiores in amicos, & benemeritos, in quos nunquam frustra beneficia collocabimus. Liberalis igitur ac ciuis boni officium est, paruulos nutrire, pupillos tueri, uirgines pauperes connubio locare, nobiles paupertate & ualetudine oppressos iuuare, uiduas defendere, errantes docere, esurientes pascere, uestire algentes, captiuos redimere, nexos alieno ære soluere, parentes liberos reddere sua pecunia & impensa, boni ac liberalis ciuis proprium est. Liberalitas tamen maximè à magnificentia distinguitur hoc modo, ut hæc circa dandas pecunias uersetur, illa circa magnos sumptus, & fortunato ciui conuenientes. Magnifici nanque est, theatra, fora, templa, porticus, ædes pro dignitate, ita extruere, ne plus immodicæ impensæ fiat, quàm bonum ac magnum ciuem deceat quemadmodum antea de structuris optimi ciuis diximus.

FORTITVDINEM, OMNIVM *uirtutum robur, maximè iustitiæ iunctam esse.*

Ne *autem iustitia ipsa, de qua diximus, ulla ex parte labefactetur, statim fortitudo, omnium uirtutum robur & uallũ, subiungenda. Vt enim fortitudo, sine iustitia, iniquitatis materia est, cum ualidior imbecilliorem opprimat: ita iustitia sine fortitudine terga nonnunquam uertit, atque eos deserit quos tueri deberet. Sed cum fortitudo in res bellicas & domesticas diuidatur, superius illud omittamus, amplectamúrque nunc domesticam fortitudinem, quæ animi magis quàm corporis uiribus comprehẽditur. Vera enim fortitudo est, seipsum primò uincere, iram cõtinere, nullis illecebris capi, aduersis non perturbari, nec tolli secundis, & quasi uento huc atque illuc impelli. Non debet certe uinci cupiditatibus*

uera fortitudo, non frangi metu, non iracundia, quæ omnino consilium tollit. Præclarũ est etiam, ita animum informare, ut neque diuitias, neque uoluptates, ita in maximis rebus constituat, ut cum his omne studium conferat: quo nihil potest esse turpius, & à claro uiro magis alienum: cum eius ciuis quem optimum uolumus, sit proprium, pro religione, patria, pro iustitia & honestate, omne discrimen subire, ac pericula, considerata præsertim, contemnere. Hunc autem magni, excellentisque animi esse oportet, nihil in rebus humanis admirari, nihil magnificare præter uirtutem. Honores etiam non quoscunque, nec à quouis oblatos suscipiet: sed illos tantum, quos esse dignos optimo ciue arbitrabitur. Ita quoque dignitatem animi, quam diximus, in utranque fortunam seruabit, ut ab astu naturæ discedere non uideatur, si uel fortuna sæuierit, uel ei blandius arriserit. Beneficia uerò contulisse lætabitur: ferétque molestè, si acceperit, nec plura statim reddiderit. Item ab eius natura sit alienum, commemorare beneficia, quæ in alios cõtulerit. accipientis enim hoc proprium est, non autem dantis. Ut enim beneficia in Athenienses reticent Lacedæmonij, ita ab illis accepta commemorant peroportunè. Superior item in omni uirtute mauult esse, quàm uideri: nec id quidem inter humilis fortunæ homines, sed inter optimates exoptat. Palàm autem loqui, amare, odisse, suiipsius proprium existimat. Timentis autem est, occultare sententiam. Motus uerò ipsius tardus esse debet, & uox grauis: sermo quoque interuallis longioribus distinctus, grauitatem quandam grauißimo ciue dignam præ se fert. Sic uera animi magnitudo sine magna uirtute constare non potest. Fortitudine autem bellica præditi, constantißimis animis resistunt hosti, grauißima quæque incommoda pro libertate recipientes.

INTEM

INTEMPERANTIA, FONS *omnium perturbationum: contrarium eius Modestia.*

Intemperantia fons est perturbationum omnium, quæ est, à tota mente & recta ratione dissensio, sic auersa à præscriptione rationis, ut nulla ratione appetitiones animi uel regi, uel contineri queant. Huius contrariam uirtutem Græci Sophrosynen uocant: quam nos quidem tum temperantiam, tum moderationem, nõnunquam etiam modestiam appellare solemus: cuius proprium est, motus appetentis animi sedare ac regere, semperque aduersantem libidini ac moderatam in omni re seruare constantiam. Huic autem inimica intemperantia, omnem animi statum inflammat, ac perturbat. Hinc uerò ægritudines & metus, ac reliquæ animi ægritudines gignuntur: ad quas certè sedandas, una modestia, adiuncto decoro, inuenta est. Duplex enim est, ut ait M. Tullius, uis animorum atque naturæ: quorum pars una in affectu posita est, quæ hominem huc atque illuc rapit: altera in ratione, quæ docet & explanat quid faciendũ, fugiẽdúmque sit. Ita fit enim, ut ratio præsit, appetitus uerò obtemperet in homine potißimum bene morato: cuius fundamentum ipsa uerecundia erit, quæ non sine causa prudentiæ adiuncta, ac soli homini data, ostendit aliud iuuẽni conuenire, aliud seni, qui à rebus leuibus magis quàm iuuenis debet se abstinere.

CIVES BONOS, CONTINENTES *& abstinentes esse oportet.*

Continentes quoque & abstinentes esse bonos ciues oportet: quorum alterum in rebus, alterum in moribus est situm.

Scipio ille Africanus, qui totius uirtutis unicum exemplum fuit, eximiæ formæ puellam sibi in Hispania uoluptatis causa oblatam, constanter renuit: parentibus uerò accitis, aurum pro redimenda puella doti subdidit, eámque inuiolatam meritò restituit. In Epiro, Achaia, Cycladibus, M. Cato Veneris & lucri copiam habens, constantißimè à tanta turpitudine abstinuit, Numatio Rufo teste. At uerò cum Caius Fabricius, populi Romani legatus, audisset Cyneam Atheniensem apud Pyrrhum omnia uoluptati tribuentem: Vtinam, inquit, talem habeant mentem omnes populi Romani hostes. Superior autem ille Cato, uir sanè illustris, pellibus hœdinis pro stragulis est usus. Trium quoque seruorum comitatu contentus. Hispaniam gubernauit, eodem utens cibo, eodémque uino, quo serui & nautæ, ut cæteris hac ratione frugalitatis exemplum daret. Cum Pericles haberet collegam in prætura Sophoclem, ísque de communi officio conuenißet, & casu formosus puer præteriret, dicerétque Sophocles, O pulchrum puerum Pericle: tum Pericles, Prætorem (ait) decet non solum manus, sed & oculos habere abstinentes. Magna profectò fuit Xenocratis, ac inuicta continentia. Is enim cum missa sibi ab Alexandro talenta intellexisset, legatos ad exiguum apparatum inuitauit: cúmque ab his quæreretur, cui numerari talenta uellet: Nónne, inquit, hesterna cœna intellexistis, Xenocratem huiusmodi muneribus minimè indigere? Natura enim, ut ait Philosophus, paucis minimísque contenta est. Ad ualetudinem quoque & appetentiam pertinere hanc in uictu modestiam intelligemus, si rerum iusti extimatores fuerimus. Nam cum Darius rex, multis antea epulis & poculis fastiditis, aquam turbidam & cadaueribus inquinatam in fuga bibisset, negauit unquam se bibisse iucundius: nunquam

enim

enim sitiens biberat. Nec *unquam esuriens* Ptolomæus *edit, nisi cum peregrinanti sordidus panis datus esset: tum enim nihil est uisum illo pane suauius.*

FAMES MOTV ET EXERcitatione inducenda est.

Excitanda *siquidem fames motu & exercitatione, non autem condimentis, cum desidiose uixerimus.* Ferunt Socratem, *cum is usque ad uesperam continentius ambularet, quæsitúmque ab eo esset cur id faceret? respondisse: se, quo melius cœnaret, excitare in ambulando famem.* Quid *uictus* Lacedæmoniorum *in publicis?* Vbi *cum tyrannus cœnasset* Dionysius, *negauit se iure, quod solebat apponi, esse delectatum.* Tum *is qui coxerat:* Minimè, *inquit, mirum: condimenta certè ei defuere: labor in uenatu, cursus ad* Eurotam, *fames, sitis. his enim* Lacedæmoniorum *epulæ condiuntur.* Victus *quoque* Persarum *à* Xenophonte *exponitur, quos negat ad panem adhibere quicquam, præter nasturcium. neque enim suauiora illa ac delicata, natura desiderat.* Adde *siccitatem, quæ sequitur hanc continentiam in uictu: ualetudinis quoque integritatem adde.* Confer *ructantes, sudantes, refertos epulis, tanquam opimos boues.* Est *enim in desiderio, non satietate, iucunditas uictus.* Ferunt Timotheum, *clarum* Athenis *hominem, & principem ciuitatis, cum cœnasset apud* Platonem, *eóque conuiuio maxime delectatus esset, uidissetque eum postero die, dixisse:* Nostræ *quidem cœnæ non solum in præsentia, sed etiam sequente die iucundæ sunt.* Exempla *multa nos monere possunt: sed certè nihil est quod magis nos adhortari debet, quàm continentia.*

INTEMPERANTES OPEram literis dare nequeunt.

Operam *literis dare intemperantes nimio cibo & potu* repleti,

repleti, non possunt. Extat Platonis *præclara illa quidem epistola ad* Dionis *amicos, qua displicuisse sibi ostendit, quòd* Itali *&* Syracusani *bis in die saturi fierent, nec unquã pernoctarent soli.* Quòd *turpe sit omnino diffluere luxuria,* Sardanapali *error nobis indicat, qui incîdi iußit in sepulchrum suum:* Hoc *habui quod edi, quódque exaturata libido* Hausit. Quid *aliud, inquit* Aristoteles, *in bouis, non regis sepulchro incideres?* Hæc *autem eò tendunt, optimi ciues, ut intelligatis, uobis, si honestè ac rectè uiuere uultis, seruandam esse mediocritatem in uictu, cultúque corporis.* Quid Xerxe *ipso libidinoso turpius? qui refertus omnibus præmijs, donísque fortunæ, non equitatu, non pedestribus copijs, non manuum multitudine, non infinito auri pondere contentus: præmium proposuit ei, qui nouam inuenisset uoluptatem: qua tamen ipse non fuit contentus.* Neque *enim unquam satiatur libido.* Sedandæ *igitur sunt omnes libidines, cupiditatésque, sedandæ ægritudines.* Comprimenda *est & iracundia, unde propè infinita mala oriuntur: cum ratio omnis subeunte illa insania è mentibus nostris deturbetur.* Hac *autem ratione si uixerimus, & prudentia in bonorum malorúmque delectu, & iustitia suum cuique tribuendo, & fortitudine in laboribus periculísque obeundis, & demum temperantia in prætermittendis uoluptatibus, constantißimè utemur: bene beatéque uicturi sumus, si* Deum *præ oculis habuerimus.*

VNIVSNE AN MVLtorum sit naturaliter gubernatio.

Optimum *prudẽtißimúmque artificem naturam esse, quis dubitet? quippe quæ optima & perfectißima quæque in suo genere efficiat.* Ars *quoque laudari tum solet, cum ad naturam quàm proximè accesserit: eáque quæ secundum natu-*

ram

ram sunt, optimè se habere dicuntur, quòd sibi firmiter constent, amicéque conueniant. Naturalißimum autem esse, regi ab uno multitudinem, superiora satis quidem apertè demonstrant. Nam, ut diximus, & in membris, è quibus existit corpus, unum est quod cæteris præest, ad cuius præscriptum illa mouentur: id autem cor esse uoluerunt. & in ipsa anima rationem iurè primam posuerunt. Mundo quoque, cuius quanta sit amplitudo atque ambitus, ne mente quidem metiri possumus, unus est qui præsidet Deus, moderator & rector omnium, quæ illo continentur, ut rectè ueteres dixerint, è cœlo regium nomen uenisse. Ad hæc, si parua licet componere magnis, ut est apud Maronem: apibus quoque unus est rex, quo incolumi mens omnibus una est, amisso rupere fidem. Cum igitur naturale sit, omnem multitudinem ab aliquo uno regi, & ars naturam sequatur, ipsorúmque artificum opificia eo perfectiora sint, quo maiorem similitudinem reddunt, eorum quæ natura fabricata est: manifestum est, magis secundum naturam esse, ciuitatem ab uno temperari, quàm à pluribus, cum in ciuitatibus his quæ à pluribus reguntur, quo pax concordiáque uigeant, necesse sit, illorum qui Rempublicam gerunt, sententiæ, ut in unum omnino conueniant. quæ ubi in diuersa trahuntur, tum seditiones & intestina oriuntur bella. Contrà uerò, optimè agitur cum illo populo, florentque urbis eius opes, cuius principes unum idémque & sentiunt & uolunt. Quota enim nauis ad certum prouehatur portum, si gubernator & nauta ita dißideant, ut alius alij in iudicio aduersentur, & opera? An non medici ita commiscent, quæ ægrotis dant, ut multa in unum redigantur? Quocirca quoniam omnis conuenientia, omnísque consensus atque concordia, ipsáque amicitia, unitas quædam est: manifestũ est, id quod per semet ac simpliciter quidem unum sit, aut ipsi

uni

unitati quàm proximum (id autem est rex, qui unus est) multo facilius ac melius posse id à se emittere, ac efficere, quod plures nequeant, nisi tanquam unus fiat è multis. R*ursus cum omnis cogitatio, omnísque intentio eorum qui* R*empublic. moderantur, ac populos regunt, eò spectet, ut salui sint quos gubernandos illi susceperint: salus autem subiectorum hominum & uniuersæ multitudinis bonum consistat in ciuitatis conseruatione, quæ pax est, & tranquillitas ciuium: ad hanc quam dico unitatem assequendam, retinendámque longè potior, magísque natura appositus is erit, qui per se quidem unus est, quàm qui plures. quippe cum & lucis & splendoris princeps causa sit id quod per semet lucidum & splendens est, & caloris item quod est suapte ui calidum: res tamen ipsa magis quàm ulla disputatio, rectè reputanti certum hoc faciet.* N*am paruæ etiam ciuitates, quæ à pluribus reguntur, assiduis ferè laborant seditionibus: cum latissima regna huiusmodi uix ullos, aut certè quàm rarissimos tumultus sentiant.* E*t cum eos qui* R*eipublicæ præsunt, affectibus uacuos esse deceat: quanto facilius est unum quàm multos uinci cupiditate, & libidine mala: præsertim cum hic nunquam careat diuitijs, neque indigeat gloria, quibus non modo subiectos honestare atque illustrare soleat, sed & exteros ac peregrinos: ex illis uerò sæpenumero plures esse contingat, qui rerum omnium premuntur inopia. Atque ut curandis morbis adhibere nouos subinde medicos, sic gubernandis populis periculosum est nouos patres conscribere: cum sæpe accidat aut electione mala, aut factione ciuium, seditiosos homines, aut gerendis rebus parum aptos atque inutiles creare magistratus.* Q*uid quod usitatissimum est, ut in qua ciuitate plures* R*ēp. tractant, siue è plebe, siue è nobilitate, ij sinant tyrannidem exoriri: ut apud* C*orinthios,* M*ilesios, &*

Athe-

Athenienſes legimus Sylla quoque & Marius,uel inter crudeliſsimos tyrannos numerandi ſunt. At reges rariſsimum eſt in tyrannos euadere, ac delabi, idque cum minori fit ciuium damno. Quippe cum non in omnes ſæuire,ſed in paucos ſoleant,niſi omnino fuerint immaniſsimi:ac nihilominus pacem tueantur populorum, & ne quid illorum Reſpu. quæ ſuæ curæ ac temperationis eſt, detrimenti capiat, omni ſtudio & arte curent. Vbi uerò aut è primoribus unus aliquis, aut e plebe aſpirarit ad tyrannidem,neceſſe eſt turbari ac miſceri omnia,domeſticúmque exoriri bellum; exhauſta urbe: non his tantum qui publicam libertatem tueri uolunt, quique alterius ſunt factionis ſed proſcriptis aut trucidatis bonis pleriſque,& cum his etiam innocentiſsimis uiris. Ex quibus iudicari poteſt,conducibilius eſſe ciuitati, magíſque ſecundum naturam ab uno regi,quàm à pluribus.cum etiam uideamus,ciuitatum populorúmque gubernacula initiò penes reges fuiſſe. Nam & Romani,& Athenienſes, & Thebani,initio reges habuerunt,ipsique priſci Latini & Aborigines, Aegyptiique & Syri & Perſæ, ſub regibus eſſe memorantur:& ut Cicero tradit, Omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt. Etenim cum homines principio generis humani diſperſi,beluarũ more in agris agerent, illíſq; cauæ arbores,aut exeſi montes ac ſpecus,domus eſſent:ſimile eſt ueri,unum aliquem præſtantem ingenio finitimos omneis,quaſi paſtorem aliquem regere cœpiſſe:paulatímque perpuliſſe,ut in unum locum ſimul conuenirent,cauſáſque conſtituerẽt, & ne in diem uiuerent,& ut compararẽt neceſſaria ad uictum, & quæſitis parcerent. Nam quod ait Virgilius:

Hæc nemora indigenæ Fauni,Nymphæque tenebant,
Génſque uirûm truncis & duro robore nata.
Queis neque mos,neque cultus erat:nec iungere tauros,

Aut

Aut componere opes norant, aut parcere parto,
Sed rami, atque asper uictu uenatus alebat.
Primus ab æthereo uenit Saturnus Olympo,
Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile, & dispersum montibus altis
Composuit, legésque dedit.

Hæc Poeta non tam in Saturni laudem dixisse uideri potest, quàm ut hoc ipsum innueret nobis. His autem principijs, quæ à natura ducta sunt, accesit postea consensus hominum. Crescentibus enim urbibus, & grassante libidine, cum qui tenuiores erant, premi à ditioribus timerent, confugere cœperunt ad Aristidas & Catones aliquos, quos iustitiæ legúmque cultores esse scirent, intelligeréntque natura & moribus excellentes esse: quibus cōmuni bonorum consensu urbis tutela permissa, iustitiæ legúmque patrocinium est traditum. Nam ut Ciceronis utar uerbis, genus hoc imperij primũ ad homines iustissimos & sapientissimos deferebatur. Adeò enim res nostræ naturam sequuntur, ut si quando aut uitio, aut necessitate aliqua discessum sit, ab ea tamen haud multo pòst ad illam fiat reditus. Nam & puer Horatianum illud didici: Naturam expellas furca, tamen usque recurret. Quin & in ipsis ciuitatibus quæ à pluribus reguntur, unus ferè est, aut è plebe, aut è nobilitate princeps, ad quem omnia referuntur, & cuius consilio aguntur pleráque. Nam Romani pulsis ob superbiam & libidinem regibus, in asperis atque turbulentis rebus, ad creandum dictatorem (id enim potissimum eis remedium uisum erat) confugiebant. Quid ipsæ ciuitates, cum in pugnam exeunt, nónne unum ducem sibi constituunt, penes quem sit imperij totius summa? quódque pueri etam decantare solent; unus est Deus, & unus est rex. Et quoniam natura ipsa ubique uim ostendit suam,

muta animalia & beluarum greges, ductores quosdam habent, quos sequuntur: cum ne gruum quidem, sine duce uolatus, sint longiores. Ex *his igitur iudicare licet, tametsi regibus parendum sit, nihilominus liberos esse nos: & quãquam liberi sumus, parêre tamen oportere, ut diu liberi esse ualeamus.* N*am ut* Cic. *ait:* L*egum serui sumus, ut liberi esse posimus.* E*tenim* R*ex cum sit defensor libertatis, propulsator iniuriarum, atque animaduersor dúxque ciuilium actionũ, legumlator & custos, ac publicè priuatímque moderator, pater, rector, quisnam liberũ se, aut uera frui libertate iure possit dicere, nisi hic ille fuerit, qui defensorẽ libertatis, qui propulsorem iniuriarum, atque animaduersorem, qui actionũ ducem, qui legum custodem, qui moderatorem, rectorem, patrẽ se habere intelligit, sibíque, ciuibus, atque urbanis rebus rectè utilitérque consulentem, eundémque uirum bonum esse, regem denique sapientem agnoscit?* A*d hæc, quemadmodum rationi qui paret, docenti quid uerum falsúmque sit, eadémq; secernenti, & quid sequi, aut declinare opus sit, monstranti, rationalis iurè ac uerè dicitur: sic & ille rectè meritóque liber uocabitur, qui moderatori suo ita paruerit, ut in omni uita, ac in ciuili maximè consuetudine, minimè labatur: imò ea meditetur atque agat, quæ ab homine ad communem utilitatem nato, & ratione utente perfecta, plurimum utique ad ipsam communitatem tuendam résque illius ampliandas, possunt expectari.* C*ontrà uerò qui utique ratione abiecta appetitioni semper seruit, is quidem uerè natura seruus est, atque in pecudum potius numero habendus, quàm hominum.* E*odẽ modo, qui spreto publico gubernatore, contemptísque ac uiolatis legibus, contra ius, fásque grassatur, non modo nequam & seruilis est habendus, uerumetiam humanæ societatis hostis, ac naturæ ipsi rebellans: qui cum ad cœtus celebrandos*

natus sit, atq; in ciuitate genitus, alitus, educatus, id tamen assiduè agit, quo humano generi sciens uolénsque cōtinuò incōmodet, & quasi malus quidam afflatus pestilentiam inducat. Quòd si barbaros eos dicimus, & in ferarum numero habemus, qui sine legibus sine moribus, perinde ac bestiæ uiuunt: cur non qui secundum morum, legum, rationis præscripta actiones moderantur suas, publicæque rei custodem uerētur, ac colūt, optimis ipsi artibus disciplinísque instructi: cur inquam non hos liberos asseremus, ceu naturalis ueræque libertatis bonum prorsus assecutos? Num quidnā filius, quòd sub paterna potestate uiuat, seruus est iudicandus? Quod si esset, nequaquam maiores nostri filios suos liberos appellassent. Pueri quoque & adolescentes, num minus liberi sunt, quòd sub præceptoris institutis, & grammatici erudiuntur ferula? Mihi quidem uidetur hæc esse recta & certa ad ueram solidámque libertatem, uia. Miles, quòd ordines seruare, signa sequi, ac pugnare in acie, militaris illum disciplina iubeat, liber propterea nō est? imò hæc dum seruat, & ducis iussa exequitur, suæ patriæ tuetur libertatem, próque ea fortißimè dimicat. Nam quod libertas sit, ita quidem uiuere ut uelis: hæc non solum libertas nō est, sed aduersatur etiam libertati. Qui enim uiuit ut uult, is quæcunque appetierit, uolet, agétque: iura ipsa naturæ, & humanæ societatis uiolans, ac prosternens. Apud rectè uerò sentientes, illi & sunt & habentur liberi, qui perinde ut debent, uiuunt, funguntúrque uiri boni ac frugi patrisfamilias, iustíque ciuis officiis. Veráque libertas est, seruare leges, tueri iura, eáque agere atq; afferre in mediū, quæ ad tuendam stabiliendámq; hominū coniunctionē quàm maximè conferunt: illísque, qui ferendis ac seruādis legibus præpositi sunt, quíque publicæ salutis curam gerunt, ita obtemperare, ut à communi bono ne illum quidem (ut dici solet)

let) recedatur. Possent his plura subiici, est enim campus hic latißimus: sed debemus his esse contenti, cum abunde probatum uideatur, licet liberi nati sumus, tamen & regibus & magistratibus parendum esse: & tum maxime liberos esse nos, cum iis maxime pareamus. Quibus sane rationibus ita mihi ipse satisfacio, ut arbitrer dulcißimum atq; uberrimum libertatis suæ fructum eos recepisse maxime, quibus diuino quodam munere concessum fuit, eiusmodi regi fuisse subiectos, de quo merito dici poßit, quod de Saturno poeta noster canit:

Aureáque ut perhibent, illo sub rege fuere
Secula: sic placida populos in pace regebat.

Atque ut in pace, sic in omni pietate & iustitia, sine quibus & perfecta pax esse non potest. De libertate autē loquuti sumus non illa quidem in quam se asseruisse dicunt, qui manumißi sunt. nec de illo seruitutis genere, quod est de iure gentium introductum: sed de libertate illa quæ naturalis est, & homine ratione utenti digna: déque ea seruitute, secundum quam natura seruus quis dicitur: quódque qui natura serui sunt, legum ac Regum beneficiis assequuntur, ut ciuilis & ipsi libertatis bonis continue fruantur.

TEMPORE SEDITIONVM quid optimo ciui faciendum sit.

Optimus quisque ciuis, tempore quo seditiones nonnunquam in ciuitatibus fieri solent, cum sæuit aliquando in senatum populus, uel inter se dissentiunt, talem sese præstare debet, ne alicui partium adhærere uideatur, aut cuiquam fidat secreta cordis sui. Conuenticula, conuocationésque communitatis uitabit omnes, ne quouis modo unus e numero tumultuantium uideatur, néue in coniurationem seu conspirationem ullam uel assentire, uel dissentire arguatur: sed potius

sua sorte, in animi tranquillitate, seclusa omni sinistra cupiditate, contentus abeat, séque solus & securus domi in pace contineat. Quoniam communitas bestia est multorum capitum, hydræ persimilis, cui si unum caput amputetur, succrescunt septem alia. Sitque tempore tumultus, omnibus animi pax, tranquillitásque. Exhibeatur maioritati honor debitus, obedientia & reuerentia: caueatúrque ab omnibus temeritas. Memores sint omnes, id quod communitas siue populus tempore seditionis contra senatum statuerit, plerunque irritum esse, ac raró sortiri bonum finem. Nam discordiæ facili ex causa exortæ, tardißimè rarißiméque pacantur: & manent plerunque inter ciues insidiæ, occulta odia, dissensiones, persecutiones raró placabiles, in futuras etiam generationes perseuerantes. Autoribus præterea factionum imminent pericula, cædes, proscriptiones, bonorum direptiones, supplicia, & reliqua innumera & immania mala, quibus non facilè medendum. Pax itaque in utranque partem optima rerum est, omnibus amplectenda ciuibus. Caueant sibi hic omnes seditionum autores. nam tempore tumultus, senatus prudenter dißimulat, tacet, & in omnibus communitate delirante, populo consentire uidetur, ne insipientes insanientésque in furorem agat: donec opportunitatem nactus, ultionem de omnibus sumat. Expertus loquor. Caueat ergo uir quisque bonus, ne pro communitate in conciliabulis quippiam audax aut temerè loquatur, ne uniuersa discordiæ culpa in eum reiiciatur. Nullo enim momento seditionum principes constantes esse possunt, & antequam consilia soluunt, hærentes iam sententiam, animúmque dissentientes, ter quatérque mutauere. Et si quis locutus fuerit, etiam iussus, id non eorum uoluntate factum esse asserunt, inconstantißimi popelli. Iam enim uolunt, iam nolunt: iam placent, iam displicent, etiam illorum

prop

propria decreta, qui in rebus maximis bonorū uirorum pro pace consulta naucipendunt, & in minimis maximè formidant, & quò animum diuertant (sibiipsis conscij) nesciunt. Caueant præterea illi, qui in ciuitatibus aduersus autoritatem principum, quippiā moliuntur, aut in nouis designandis magistratibus, aut in ueteribus exautorandis consulibus quippiam statuunt: ne si priuilegia electionum habent ciuitates, ea amittant, néue crimine læsæ maiestatis pœnas luant. Sin autem quippiam peccauerit commiseritque in remp. senatus, id totum referatur ad principem, seu ciuitatis hæredem: nemo sit suiipsius iudex. Ad pacandas itaque seditionum pestes, errabunda communitas semper eloquēte oratore & persuasore opus habet, & aduocato. Eum esse decet spectatum aliquem & insignem uirtute uirum, cordatum ac intrepidum, qui pacem publicam persuadeat populo, & corda furore læsa flectere norit, pacet ac temperet, saluberrimísque monitis hortetur, solidet, atque componat animos, & firmam uulgo spondeat æternámque in uentura secula pacem: sanctámque concordiam. Quod Virgilius in primo Aeneidos pulcherrimè monet, dicens:

Ac ueluti magno in populo, cum sæpè coorta est
Seditio, sæuitque animis ignobile uulgus,
Iámque faces & saxa uolant, furor arma ministrat:
Tum pietate grauem & meritis, si fortè uirum quem
Conspexere, silent, arrectísque auribus astant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Accipite igitur, ô optimi ciues, bonorum uirorum consilia, & animi pietate agite omnia: & dabit uobis Deus, omnis pacis autor, tranquillas saniorésque mentes, & omnium malorum iniuriarúmque finem, & pacem perpetuam, qua nihil mortalibus melius, aut iucundius esse queat: Videmus enim

nullum regnum posse consistere, si intestinis dißidiis secū pugnet. Quod si fit, necesse est ut desoletur, & publica ruina domus supra domum concidat. In uniuersa igitur repub. quæ malis ac bonis constat, uoluit Deus *esse ordinē quendam.* At*que ipse ordo per se bonum quoddam est, etiamsi quis abutatur magistratu.* P*roinde qui perturbant hunc ordinem,* Deo *autori repugnant. & qui repugnāt* Deo*, meritò pœnas luēt.* I*deoque modis omnibus adnitendum est, ut concordibus animis agatis omnes.* A*t id fieri non potest, nisi cupiditates mundanas, concordiæ pestem, & dißidiorum semina, penitus ex animis uestris exigatis. Quisquis igitur est hominum, pareat publicis legibus, obtemperet magistratibus, qui qualemcunque* Dei *gerunt imaginem, & in malis puniendis gladium gerunt, utcunque* Dei *negotium agent.* A*tque hactenus sanè potestas illorum à* Deo *proficiscitur.* P*roinde qui principi aut magistratui etiam impio & ethnico, suo fungēti officio, resistit, is non resistit homini fungenti, sed* Deo*, à quo proficiscitur omnis authoritas. Quod si nolis legibus aut magistratibus esse obnoxius, ne putes te id assequi contumacia, sed innocentia potius.* Nihil *enim iure possunt, nisi in eos qui committunt quod non licet.* R*erum itaque status publicus non potest cōsistere, nisi magistratibus sua deferatur authoritas & ciuitatibus suæ asseruentur immunitates: quibus tempore seditionum sæpe priuari solent.*

DE OECONOMIA
ADNEXVM.

D*iximus hactenus de* Politia*, quæ est de regimine plurium, scilicet ciuitatum &* Reipublicæ *administratione.* Nunc *de* Oeconomica *paucis ut dicamus, operæprecium est.* Et *ne ex incognitis proficiscamur, ad* Oeconomiæ *descriptionem pergamus,*

quid

quid scilicet ea sit. Est enim Oeconomia, rei domesticæ administratio. Oeconomica uerò, quæ ad rem domesticam ac familiarem pertinet. Oeconomus autem, tam pecuniarum, quàm frugum, & omnium quæ dominus possidet, dispensator. Aristoteles Oeconomica duobus libris complexus est. Nos autem breuissimè adnexum hoc, huic Epitomæ adiecimus: quod iuuentuti nunc satis esse debet, donec ad meliora elegantioráq; proficiscatur. Scire itaque primùm oportet, quòd rei domesticæ minutissimæ partes, ex quibus domus cōstituta est, sunt, Dominus & seruus, maritus & uxor, pater & filij: de quibus hîc passim tractaturi sumus.

DE VIRI AC MVLIERIS coniugio.

Vir ac mulier naturali quadam & legitima coniunctione, Dei nutu iunguntur. Nemo est qui id nesciat: & id quidem coniugium uocatur, quod non est uoluptatis, sed prolis gratia institutum. Huius enim rei gratia relinquet homo patrem ac matrem, & adiungetur uxori suæ, atque è duobus fit una caro: quod coniugium Paulus uocat honorabile, & cubile impollutum. quorum cohabitatio cum uniuersa eorum familia, Oeconomia, hoc est gubernatio domus & familiæ Græcè uocatur. Quos inter connubio iunctos, primum omnium (inuocato Dei auxilio) mutuus, uerus, ac legitimus coniugalis amor adesse debet: qui nisi adfuerit, non erit stabile, neque æquum matrimonium: quod si aderit, Deus autor coniugij, qui iunxit uirum atque mulierem, felicitabit omnes conatus illorum. Debet igitur meminisse uterque coniunx, uocis illius diuinæ, præceptique Dei, patribus nostris ac nobis omnibus post casum dati, quo docemur: In sudore uultus tui uesceris pane tuo. Et rursus: Labores manuum tuarum quia

manducabis, beatus es, & bene tibi erit: uxor tua sicut uitis abundans, in lateribus domus tuæ: Filij *tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mēsæ tuæ.* Ecce *sic benedicetur homo qui timet* Dominum. Non *uult ergo* Deus *ociosa & petulantia matrimonia: non uult coniuges ocio, somno, & torpore diffluere, sed utrosque undique diligenter circumspicere, ac pro uiribus laborare, incūbere, artésq; exercere operarias, ac pecuniam quærere posse, & quæsita tueri. quod cum factū fuerit, fortunabit* Deus *omnia opera illorum.* Non *igitur sit gulosus coniunx, non potor desidiosus: non lusor, nec plateas obambulans, nouarum rerum studiosus:* Deum *amet, timeat atque ueneretur: & probè, beatéque sibi, suísque diebus uitæ suæ consultum intelliget.* Caueant *hic ociosi uentres, qui sub specie religionis spernunt, contemnunt, auersantúrque sancta cōiugia: ut ociosi labores fugere queāt, & suas libidines liberè exercere. secus enim docet scriptura, quòd propter stupra cauenda, suam quisque uxorem habeat, & suum quæque uirum,* 1. Corinth. 7. *ob indomitum ac uiolentum affectum, in quem sumus peculiariter propensi omnes.*

QVIBVS CONIVGES *uitæ necessaria conquirere debeant.*

Nullum *hominum genus laboris expers esse potest, quia* Deus *& natura nihil uult esse ociosum, neque uacuum.* Laborandum *ergo est omnibus, conquirendúsque labore cibus qui cum uarius existat, eligant coniugati quem uelint, & quo illos delectatio (quæ conseruat operantem in opere) ducat.* Habes *agriculturam, quæ olim fuit in magno precio habita, nec sine mediocri lucro, usque in hodiernum diem. ad quam, habito domicilio,* Aristoteles *bobus opus esse uoluit: quod melius norunt felices agricolarum opificum turbæ.* Hanc *maiores nost*

res noſtri felicem dixere. Vnde Boetius,

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus aruis.

Et alius,

Rura oblectabant animos, ſtudiúmque colendi:
Quælibet huic curæ cedere cura poteſt.

Poſt agriculturam, infinitæ ſunt artes manuariæ, & nauigatio ipſa, quibus comparantur uitæ neceſſaria. Eſt præterea mercatura, quam Cicero in ſordida lana uerſari dicit: quæ ſi rectè exercetur, ac æquum lucrum accipit, ſine fœnore nõ eſt improbanda. non enim fit ſine magno labore & cura, quam inter mortales eſſe oportet, cum non in omnibus locis comperiantur uitæ neceſſaria. Cuilibet enim loco à Deo ſingulare donum & gratia data eſt, qua gaudere poteſt. Non ſis igitur ocioſus: comperies enim ſemper aliquid, quod operaberis: neque certè fruſtra, ſi uolueris. ſit ſaltem quiſque ſua uocatione contentus.

QVAE IN DOMO A ſeruo domino ſuo præſtanda ſint.

Seruorum itaque duæ ſunt ſpecies: curator & opifex. Si ergo agriculturam, mercaturam, aut quamcunque aliam rem domeſticam tractare uolueris, domus tibi neceſſaria erit: cui famuli, famulæ, ſeruíque ſunt adhibendi. Nam ſeruus quædam domus pars eſt, atque in ipſa paterfamilias dominatur. Oportet igitur ſeruum illius primum, deinde aliorum qui eiuſdem ſunt familiæ, imperijs obedire, & mandatis rebus dare operam. Liberalioribus igitur ſeruis honorem, opificibus cibum, paterfamilias abundè tribuat. Qua uerò potiſſimum ratione hero ſuo ſeruiat è ſentẽtia, metus efficiet. Nam ut illum amet, difficile eſt: præſertim ſi grãdis natu, captus, emptúſue fuerit.

quanuis uernas quòd domi nascuntur, neque unquam libertatem norunt, amare heros sæpenumero usuueniat. Qui uerò captus sit, amissa patria, coniuge, liberis, parentibus: quî amare aut raptorem, aut emptorē poßit, non uideo: cum sciat erepta sibi ab illis ea, quæ prima mortales ducunt, libertatem, & diuitias, & cum his (quæ dixi) uxorem, liberos, cognatos. Seruum igitur obedientem metus efficiet. Nam ut est apud Plautum, & si herus absit, adesse tamen illum arbitrabitur, atque absentem metuet: quem qui non metuit, malum eum ac nequam esse necesse est, habereque detractorem imperij. Contra uerò metus in quo sit, is mandatis rebus præuertet semper, & ut idem poeta inquit: Næ Aedepol ille multa in pectore collocabit, quæ hero placere sentiat præsenti atque absenti suo. Multæ igitur uirtutes necesse est ut quasi comites quædam metum hunc subsequantur, diligentia, taciturnitas, fides, studium, solertia, sobrietas, parsimonia, cura. Ad hæc, qui dominum uerebitur, non rapiet, non infamabit, neque loquax, neque mendax erit: cum etiamsi decem habeat linguas, mutum eum esse addeceat: plúsque oporteat scire seruum, quàm loqui, ne discedamus à Plauto. His & hæc accedunt, quòd erit tum frugi, tum animo semper attento, instructóque ad ea facienda, quibus opus fuerit, quæ iniussus meditabitur seruus, ac demum heri arbitratu, non suo. Quia autem nobis Christianis serui empticij rarò esse solent, gaudeant ergo serui apud nostrates ferè ea libertate, qua uti solent: sub hac tamen lege. Primùm, quòd serui suos dominos honore dignos ducant, ebrietatem caueant, & inobedientiam: atque illis, in omnibus licitis & honestis pareant, placeántque: cum simplicitate cordis, non obsequijs ad oculum seruientes, quibus se non præbeant responsores, rebelles, non suffurantes, sed laborantes, etiam in absentia domini di

ni diligentes, & fidi: scientes se precio, quasi diurno denario conductos. Ideo in ea uocatione, qua uocati estis, seruite. Nam unusquisque quod fecerit boni, mercedem reportabit à Deo, siue seruus fuerit, siue liber. Et uos domini eadem facite erga illos, remittentes minas, quòd uester ipsorum Dominus est in cœlis, nec personæ respectus est apud illum. Sitis ergo illis mites, & ubi oportet beneuoli atque pacifici. Paulus hoc docet, sacræque literæ perhibent.

CONIVGIVM CERTAE PROlis gratia institutum esse.

Coniugium & naturale & legitimum, ut paulo antè docuimus, certæ prolis suscipiendæ gratia institutum esse constat. Quo autem ethnico more apud maiores nostros celebratum sit, paucis dicamus oportet. Cum itaque ex uiro & uxore ut diximus, constet, sitque uxor præsertim in re domestica (in alienam enim concessit domum) uiro suo inferior, & propter naturæ excellentiam, & propter leges quæ hoc iubent, erit mariti ius, potestásque, præcipiendi uxoribus. Illarum uerò partes erunt, uereri uiros, & metuere, non tantum ut uiros, sed etiam ut patres. Quando etiam apud Romanos, quæ per coemptionem conueniebat uxor (à quo more, parum noster hic abest) erat uiro loco filiæ. Coemptio autem peragebatur hoc modo. Cicero prior Terentiam interrogabat, An sibi materfamilias esse uellet: quæ ubi uelle respondisset, & ipsa stipulabatur Ciceronem, Vellétne sibi paterfamilias esse: atque ubi conceptis uerbis, & se quoque dixisset uelle, tũ Terẽtia Ciceronẽ conueniebat in manum. Et hæ quidẽ nuptiæ per coemptionẽ dicebantur: quòd uir uxórq; mutuis sese interrogationibus assensionibúsq; coemissent. erantq; uxores matresfamilias. Quæ si utilibus & honestis illorũ præceptis parêrent semper, & genialis thori legibus aduersari nollent

nunquam

nunquã sapientes quidem uiri de ducenda uxore dubitassent, nec fortunatum putassent, illa carere. Ex inobedientia enim & cõtumacia lites oriuntur, ac pleraque coniugiorum mala: quibus utinam non essent & fortunatissimæ domus oppletæ. Vt honestissima est coniugalis uita, esset etiam felicissima, iudicio sapientissimorũ hominum. Sed quoniam difficillimum est, in rebus humanis animos mortalium semper esse unanimes, necesse est sæpe accidere discrimina, quæ nobis omni ex parte toleranda sunt, frangendíque cohabitantium animi, & multæ patientiæ committendi sunt, præsertim ubi impar est coniugium. Nihil enim omni ex parte beatum. Quare matrimonij incommoda omnino libenter, & æquo animo sunt ferenda. Cesset uiri erga uxorem iniuria, sic nec ipse iniuriam patietur.

QVAE MAXIME DEceant honestam uxorem.

Quanquam autem in hac hominum coniunctione, quæ prima quidem societas est, magnam esse amoris uim fatentur omnes: facile tamen amor (hominum malitia suggerente) uertitur in odium, ubi obedientia uires suas amiserit. Iubet igitur Paulus, uxores proprijs uiris subditas esse in omnibus, sicut dominis suis. Danda ergo est opera, ut proba & pudica uxor, quæ leges coniugij seruare uoluerit, amaríque à uiro suo cupit, eius præceptis semper præstò sit, & secundum illius regulam uiuat. Nam quæ hæc respuerit, haud scio quid aliud ipsa, quàm adultero ut placeat, curet. Obedientia itaque, ut maiores indies amori cumulos adijcit: sic & amor qui legitimus est, pudicitiæ. Diuino igitur numine admonentur adolescentulæ, ut maritos suos diligant, & liberos ament: subditæ uiris suis, puræ domus custodes, quæ lites fugiat, compescat obiurgia, &

animum uiri sic introspiciat, atque obseruet mores ut neque conuiciandi causam viro præbeat, neque accipiat præbitam. Non *enim omnes uiri* Socratem *induere possunt.* Proprium *præterea officium uxoris est, coniugem uereri, & in precio habere, rem (ut dixi) domesticam regere: non superbientem genus, non dotes aut diuitias obijcere uiro.* Et *rursus uiri honesti ac probi & prudentis est, uxorem suam rursus diligere sicut seipsum, honorare, ac summa semper beneuolentia prosequi: & domi & foris negociari, ut uictus emolumentáque utrisque accedant.* Indecens *est quoque uiro, omnia ea scire quæ intra ædes fiunt, præsertim in familia famularum.* Sunt *autem uiri nonnulli, sui (id est, rationis honestatísque) immemores, gnatones socias illas coniuges esse obliti: eo quòd natura sunt inferiores uiris.* Ob *id etiam illis sunt amarulenti, eásque ancillarum loco esse uolunt, non mediocri iniuria, & nonnunquam ad contemnenda & uitiosa cogere negocia, quas non solum contumelijs, sed etiam uerberibus afficiunt, quod uiri boni non est: sed, ut diximus, honore præuenire uxores: sunt enim cohæredes gratiæ uitæ.* Et *quẽadmodũ coniugati se ipsos mutuò diligunt, amãt, & obseruãt: ita & pignora eis à* Deo *omniũ cõditore collata, summo gaudio, beneuolentia, amore, atque ingenti gratiarum actione suscipienda, amplectendáque sunt, & ad laudem* Dei *(quo nomen illius glorificetur) alenda educandáque in disciplina* Domini. *quæ cum adoleuerint, nedum parentes, uerùm etiam* Deum, *maiorésque honorare perdiscant.* Et *cum tempus poscet filias tradere nuptui, aut nurus accipere, obsequãtur parentes.* Caueántque *parentes, ne prouocent liberos suos ad iram, tanquam odissent eos, ne despondeantur animi illorum, neque tamen permittantur uoluntati eorum. omnia enim ratione moderanda sunt, quæ cupiditatibus nostris usque*

præ

prædominari debet, si prouidi & prudentes haberi uolue- rimus.

VXORIS VERA IN *uirum amoris signa.*

Veræ beneuolentiæ & præcipui in uirum amoris studiique signa sunt hæc: Prolem ex illo susceptam amare: Rerum domesticarum studiosam & parcam esse: Cognatorum, affiniúmque suorum rebus, uiri res præponere: De absente sollicitam esse: In ægrum officiosam, & anxiam. Inter familiares seditionem minimè facere, nec domus quærere discordiam. Hæc præcipuè ubi affuerint facillimè iudicabitur, qualis sit in uirum animus, & quod obediētiæ studium. Cuius etiam rei maximum certißimúmque indicium illud est, si priuignos non oderit. Nam quæ illos amauerit, eam ut muliebri captu maiorem admirabimur.

AEQVALEM TIBI VXOrem *quære.*

Aequalem tibi uxorem ducito: adagium admonet, ne quis cupiditate, aut ambitione allectus, se potentiorem ducat uxorem. Nam eiusmodi fermè connubia inauspicatò cedere, Plutarchus in libello de liberis educandis, parentes admonet, ut eiusmodi liberis suis despondeant, quæ non sint multo uel ditiores, uel potentiores. Prudenter enim dici prouerbio, Tuæ sortis uxorem ducito. Celebratur & hoc inter sapientum apophthegmata, atque à nōnullis Pittaco inscribitur: Vxorem ducito ex æqualibus. Nam si duxeris ex potentioribus te prognatam, dominos tibi parabis, non affines. Itaque non iniuria apud Plautum ueretur ille, magnatem, dotatámque matronam ducere, ne sibi dicendum esset, Argentum accepi dote, imperium uendidi.

AD CONIVGATOS optima institutio.

Proba mulier uestitu & apparatu minori utatur, quàm leges permiserint ciuitatis: considerans quòd nec uestimentorum nitor, nec excellentia formæ, nec auri magnitudo tantum ualet ad mulieris laudem, quantum modestia in operibus, ac studium honestè decoréque uiuendi. Etenim omnis huiusmodi ornatus animi optabilis est, multóque firmior ad senectutem usque, ueras laudes sibi natísque afferre. Audite hic Esaiam prophetam, ô adolescentulæ, quid de luxurioso cultu ornatúque mulierum (quem mundum uocant) sentiat. Legite minas Domini. Existimare debet in primis mulier bene composita, ut antea diximus, mores uiri sui esse legem suæ uitæ, impositam sibi à Deo, per coniunctionem matrimonij atque consortij: quos si æquo ferat animo, perfacile reget domum: sin contra, difficillimè.

Decet enim non solum in prosperis rebus, secundáque fortuna mulierem unanimem se uiro præstare, & inseruire uelle, & rursus uirum mulieri, uerumetiam in aduersis. Et si sit in rebus domesticis, aut bonis fortunæ defectus uel corporis ægrotatio, uel alienatio mentis, æquo ferant animo, & obsequantur sibi mutuò pro uiribus. sunt enim infinita matrimonij onera. Studere debent insuper uir & uxor, primò quidem omnem curam parentibus exhibere: uir quidem uxoris parentibus, non minus quàm proprijs, uxor autem uiri: deinde filiorum & affinium, & rerum domúsque totius tanquam communis curam habeant, seipsos studio ac diligentia superare certantes, ut quisque plurimorum bonorum sit author & causa, meliórque existat.

VIRGINITATIS, CONNVBIJ, & cœlibatus idem meritum.

Sunt

Sunt hypocritæ quidam, qui matrimonia improbant, uirginitatem & cœlibatum tantum probant: existimantes, quouis coitu contaminari corpus: quo sibi, ut hypocritæ, apud humile & incautum uulgus sanctimoniæ conciliant opinionem. Est autem castus quidam ac legitimus usus coniugij: sed omnibus ex æquo uitandus est illegitimus coitus. Legitimo itaque matrimonio eátenus cuique utendum, aut non utendum, quatenus id Euangelij negocio expedit, aut officit. Quapropter Diuus Paulus sentit, non magis mereri iustificationem propter uirginitatem, quàm propter coniugium. utræque enim, & coniuges & uirgines, statuere debent, se per misericordiam Dei iustos esse, & acceptos propter Christum, non propter dignitatem coniugij, aut uirginitatis. Quod autem Paulus laudat & suadet uirginitatem & cœlibatum, hoc fit propter politicum finem, scilicet ut expeditiores simus ad discendum, docendum, & ad obeunda negotia ecclesiastica. Sic Christus laudat cœlibes, ut ait Matth. 19. Sunt & eunuchi, qui se castrauerunt propter Euangelium: hoc est, discendi & docendi causa. Coniugium igitur summis semper laudibus prosequendũ est, sed citra contumeliam uirginitatis, quæ nõ nisi à Deo est. Felices igitur, quibus hoc robur à Deo cõtingit. Fortaßis supra uires hominis est, totum ab indomito & uiolento coitu temperare. Profectò eximia quædam res est, perpetua castitas, ob Christi negocium suscepta: sed honesta res est, & legitimum connubium, cuius author est ipse Deus. De uita autem Monastica nihil habeo hîc dicere, nisi quòd optarim eorum plerósque maiorum suorum instituta uitæ probitate & eruditione propius referre.

CONCLV

CONCLVSIO.

Habes hic, ornatissime Lector, omnium philosophiæ partium luculentissima collectanea, paucissimis admodum mensibus perdiscenda, quæ prius complusculis annis, innumeris laboribus nancisci nequiueras, pro quo, Deo optimo maximo sit laus, honor, & gloria, seculis perpetuis. Amen.

TOTIVS PHILOSOPHIAE FINIS.

RATIONALIS PHILOSOPHIAE CAPITVM ELENCHVS.

DE PRÆDICABILIBUS, seu quinque vocibus siue vniuersalibus dialecticæ tractationis Liber primus.

FINIS.

PRAECIPVORVM PHYSICAE CAPITVM

DE

De ui

FINIS.

MORALIS PHILOSOPHIAE CAPITVM

ELENCHVS. 222

Relig

FINIS.

LVGDVNI,
Excudebat Symphorianus
Barbier.

8